Quid judicandum sit de F. Ritschelii sententia in Aeschyli Septem contra Thebas singulos nuntii sermones et regis responsa aequabiliter dimensa esse existimantis.

Cum in omnibus artibus et litteris tum in philologia saepenumero fit, ut viri docti sensu quodam interno, qui, ni fallor, *νοῦς θιγγάνων* ab Aristotele dicitur, capti et elati prius legem aliquam inveniant, perspiciant, quodammodo intueantur vel eam deprehendisse saltem sibi videantur, quam eam certis causis allatis probent et probare possint. Quam legem ut perferant saepe frustra nituntur et ea res efficere solet, ut aegre ferant, nisi statim iis fidem habeas; quae ipsa ira index et testis est, illos, quamquam ore ferant, non plane ea efficere posse, quae intendant, ac viri cauti et prudentis est, quamvis magnam tibi confles invidiam, illam legem propositam non temere sequi neque delinquere, ut potius viri acutissimi auctoritate, quam firmis causis ad eandem opinionem adducaris, sed sive eadem sive contraria tibi stat sententia, severissima ratio hujus legis tibi reddenda et maxime id studendum est, ut, si tibi persuasum sit, veram esse illam legem, aliam ingrediens viam quam facillime ad eum, quem tibi proposuisti, finem pervenias; si vero eam a principio non probes, explorandum tibi est ubi resideat, unde profectus sit ille error, qui sensum viri docti fefellerit ejusque oculos praestinxerit; denique si dubius haereas, animo integro, viri acutissimi auctoritate non capto eae, quas ille attulit, causae religiosissime tibi percensendae sunt; quo facto patebit, utrum viri illius vestigia jam premenda sint an fugienda an res ut ambigua relinquenda sit. Ea, quae hactenus disputavimus, quam maxime ad Ritschelium quadrare judico, quippe qui in Septem contra Thebas singulos nuntii sermones et regis responsa aequabiliter dimensa esse existimet. Cui sententiae ut primo initio meam opponam et quo equidem tendam statim tamquam crassa denotem creta, ita judico poetam licuisse quidem neque vero necesse fuisse illam legem sequi et re vera eam plerisque locis neglexisse, quamquam fere ubique

prope ad eam accesserit, quod cur factum sit, satis firmas posse afferri causas; neque vero si omnibus locis singuli nuntii sermones et regis responsa aequabiliter dimensa legerentur, poetam reprehendendum fore, qui tamen, si satis probari posset, eum de industria ita egisse, fore ut vituperationi quam laudi propior esset, quippe qui lege inutili, quam ipse temere sibi praescripsisset, vinctus libertatem sibi adimeret et formae varietatem sensui arcte accommodatam fortasse perderet.

Neque enim ut, quemadmodum Ritschelius a suo, a sensu incipiam meo, quidquam animadverti nisi acerrimum nonnullorum virorum doctorum, ut Prienii, Ritschelii, Weilii studium illius aequabilitatis efficiendae et poetae multo magis ex libidine et arbitrio, quam ex justis et gravibus causis emendandi, quamvis asseverare non desistant, etiam illa lege non posita, arte critica tantum recte exercita ad eundem facile perveniri finem. Maxime vero miror, quid dico! non mirandum mihi est, quippe qui supra hanc rem explicare studuerim, video igitur Ritschelium, Prienium, Weilium ita rem agere, ut quodammodo aegre ferant et efferantur, nihil aliud nisi „hypothesin“ i. e. conjecturam illam sententiam dici, donec ea ad amussim exacta et probata fuerit. Certe enim, si quis longas lacunas idque pluribus ejusdem sermonis locis explet, de numero saltem versuum qui exciderint ex conjectura statuit quamvis verisimili; jam vero si quis praescripta tantum lege non jam sancta iis tantum locis, qui ipsius sententiae repugnant, nonnulla verba vel totos versus loco pellit vel prorsus ejicit, lacunas statuit, denique totum apparatum criticum adhibet, exhaurit, continuo suspicionem movet se illius tantum legis perferendae causa ita agere, quae quidem suspicio quamvis falsa esse possit, haeret tamen in animo, donec firmis causis eam dissipaveris; denique si uno tantum loco prolatam emendationem falsam esse probetur, ut versum ejectum non esse ejiciendum vel lacunam statutam prorsus esse nullam, statim illa „hypothesis“ primaria sive conjectura sive lex ficta fit irrita, nisi alia via et ratione perferatur.

At ne quid praecipiam et praeripiam, duo sunt genera argumentorum, quibus Ritschelius nititur; quorum alterum magis in arte, quae hodie dicitur, aesthetica versatur, alterum in philologica i. e. in poeta interpretando vel emendando cernitur. Jam vero cum fere omnes illius artis quaestiones quam maxime sint subtiles, ut incautus aliquis facile fallatur et labatur, cum raro eam exerceant vim, ut aliquis in alia sententia quasi defixus de ea demoveatur, tum quoniam difficillimum est legem antiquare, nisi quis exemplis probaverit vanam omnino esse eam et fictam, nisi quis sensim eam quasi dissolverit animumque paulatim a vano et legis et arbitri quodam metu liberaverit, propositum mihi est, postquam antea exposui, quî, quo Ritschelii errore factum sit, ut legem illam ferret, cujus foret momenti, si valeret, singulos locos, quos Ritschelius vel alii interpretes aut lacunis statutis aut verbis, versibus ejectis loco pulsis vel alio modo sanare studuerunt, quantum nostrum

attineat propositum, intentiore cura pertractare et explorare, Ritschelio assentiendum sit, ut valeat illa lex, necne et prospere res ei cesserit necne nobis persuadere studenti, temporum iniquitate factum esse, ut singuli nuntii sermones regisque responsa, qualia in codicibus leguntur, non aequabiliter dimensa essent et arte critica recte exercita omnia statim removeri impedimenta, quae illi legi obstarent, causis aliunde sive ex arte logica sive grammatica sive universo Aeschyli genere dicendi petitis.

Audiendus igitur primum est Ritschelius, quî factum sit, exponens, ut ad legem illam proponendam deferretur. Namque in litteris ad amicum datis postquam initio affirmavit, sibi jam dudum eam stetisse sententiam, ut putaret Aeschylum de industria singulos nuntii sermones et regis responsa aequabiliter dimensum esse, idque testibus memoratis asseveravit atque nonnulla de Graecorum artibus protulit in universum disputata, deinde excusavit se non prius munus nuper oblatum amico tradidisse, quod ipsius studium et voluptas valde imminuta et demissa essent, aegre se eo adductum esse, ut promissis staret, quippe qui vidisset, a Prienio rem sibi tamquam praereptam esse, nihilo tamen minus exponit se operae pretium facturum esse sibi videri, si rem, quasi integra esset, alacriter aggrederetur et quae diu mente et ore volvisset, tandem aliquando traderet litteris. Deinde ad rem propositam nostros praeparare et praecipere studet animos exponens inter omnes viros doctos constare, Aeschylum per longam saeculorum seriem multis modis corruptum esse et mirum fore, eum ceteris omnibus mendis laborare, lacunis et interpolationibus liberum esse. Cujus rei nonnullis exemplis allatis id studet, ut licentia sibi concedatur horum duorum poetae emendandi generum adhibendorum modone propositae legis perferendae causa iis utatur neque negat, cum ipsius oculis illa lex obversata esset, animum magis ad investiganda ea menda acutum esse, optima sane legis propositae auxilia, si reperirentur; id solum sibi expetivisse, ut ubi licuisset hoc vel illo modo statui, rem ambiguam et incertam sibi commodo verteret.

Quae omnia quemadmodum concedo, ita Ritschelium iterum atque iterum monuerim, ne probandae sententiae suae causa lacunas statuat, versus ejiciat; quod cum asseveret, ea lege inter nos conveniat, ut, si et lacunas jure statuat et versus jure ejiciat, ille ferat palmam; contra si equidem eas, quas ille posuit, lacunas prorsus esse nullas vel si versus omnino nullos ejiciendos esse vel non eundem numerum probavero, equidem vicisse et ejus sententiam refutavisse mihi videar, modo ne etiam hac via illa lex perferatur.

Jam vero eo redeundum est, unde digressi sumus. Ritschelius postquam ita praefatus est et secutura tamquam compendio ostendit, pergens, quî factum sit, enarrat, ut ad eam legem ferendam perveniret. Postquam cavit, ne quis putaret ipsum prius versus numeravisse, quam rem sensisset, affirmat, suum animum, cum duos primos nuntii sermones et duo prima regis responsa legisset, „eurythmia“

quadam perfusum esse — quamquam vir doctissimus, nuntium duos et viginti versus, regem non ultra viginti proferre nesciebat neque utpote hujus rei inscius rationem sibi reddiderat, cur nuntii sermo regis responsum duobus versibus superaret — sed subito eum concentum turbatum esse, cum tertium regis responsum nuntii sermonem excipiens idque dimidia fere parte brevius legisset — namque statim, quamquam versus non numeraverat, sensit aut sumendum esse gravibus causis ad ejusmodi aequabilitatis negligentiam admittendam poetam adductum esse, aut inde colligendum, nonnullos versus excidisse — iterum ipsius animum perculsum et etiam magis turbatum esse, cum percepisset quintum regis responsum quinto nuntii sermone multo brevius esse, ut fere duplicatum tantum huic aequaret — inde colligere nos licet, Ritschelii animum quarto nuntii sermone regisque responso iterum ,,eurythmia" quadam impletum fuisse, quamquam longitudo utriusque quinque versibus (vel uno) diversa esset; sed virum doctum hanc diversitatem non sensisse, quippe qui versus non numerasset. Hactenus ea, quae Ritschelius enarrat, rettuli, quibus continuo aliquid de meis adjeci, non quo dubitem, Ritschelium re vera eo motum esse sensu, non quo fucatum eum sensum esse judicem et falsum, sed ut caveam, ne falsa inde colligantur, ut justis tanquam finibus circumscribam ea, quae Ritschelius attulit, argumenta, ut tanquam digito monstrem, ubi lateat Ritschelii error, in quem postea incidit.

Sed audiamus, quid primum ex his sensibus collegerit. Ac dicit quidem sibi eam sponte cogitationem obortam esse, ut putaret, futurum fuisse ut poeta multo melius rem gereret, si omnes singulos nuntii sermones et regis responsa aequabiliter dimensus esset, ut forma sententiae ad amussim accommodata esset, cum non intelligeretur, cur Megarei et Actoris auxilium minus exhiberetur, quam ceterorum ducum; quod tamen minus exhiberi, nisi regis responsa, quibus ii inducuntur, nuntii sermonibus, quibus adversarii nominantur, longitudine quoque aequarent et inde, quod haec lex neglecta esset, fore ut colligeretur, regem in angustias redactum esse videri, cum non aeque longa responderet.

Quemadmodum equidem concedo, haec in universum rectissime disputata esse atque subtilem et facetum Ritschelii venustatis sensum prodere, ita facere non possum, quin jam hic, quamquam infra, postquam locos ipsos accuratius perspexerimus, fusius de hac re exponendum erit, haec opponam, potuisse fieri, ut poeta immutata subito forma audientium animos fere laedere vellet, ut hac ipsa formae diversitate varium regis ingenium perciperent. Undenam Ritschelius mehercle comperit, poetam voluisse, ut rex ubique eadem animi tranquillitate, quae re vera potius est ficta, quam vera, sub qua ubique gravissima ira et odium latent, ad omnia responderet, ut nusquam irae tanquam velamen perrumperetur. Quid si poeta varios regis irae et odii gradus varietate formae sensui accommodatissimae depingere volebat? Sed

haec jam linquamus, quoniam infra fusius de ea re dicendum erit. Nunquam, Ritschelius pergit, sibi persuasum esse tertium et quintum regis responsum integra esse. Jam vero, cum eadem ipsius animum concentu quodam affectum turbassent, sponte se eo deductum esse, ut has lacunas pro nuntii sermone expleret, cum nihil differret, utrum duos an decem versus excidisse statueres. Tum demum se singulos nuntii sermones regisque responsa numerare incepisse et singula paria his numeris contineri vidisse: I. nuntii sermonem 22 versibus, regis responsum 20, II. nuntii sermonem 15, regis responsum 15, III. nuntii sermonem 15, regis responsum 9, sed lacunam indicatam, IV. nuntii sermonem 15, regis responsum 20, quorum tamen Dindorfius 6, G Hermannus 5 uncis inclusisset, ut 14 vel 15 restarent, V. nuntii sermonem 24, regis responsum 13, sed lacunam, quam Dindorfius quoque statuisset, VI. nuntii sermonem 29, quorum unum Hermannus uncis inclusisset, regis responsum 29, quorum item unus ab Hermanno in suspicionem vocatus esset, VII. nuntii sermonem 22, regis responsum 24.

Quibus haec adjicit verba: Wenn durch dieses Verhältniß die aus allgemeinen Schicklichkeitsgründen gefaßte Meinung, daß Aeschylus mit Bewußtsein nach einer gewissen (recte) Proportion gestrebt habe, über allen Zweifel erhoben ist, so konnte ein kurzes Verweilen bei den einzelnen Zahlen gar nicht verfehlen, unverzüglich noch einen Schritt weiter zu führen. Denn welch wunderbarer und darum unglaublicher (sic!!) Zufall (?) wäre es, daß eine nur ungefähre (quidni ?) Proportion, die beabsichtigt worden, vom absoluten Gleichmaß sich durch so verschwindend kleine (?) Zahlenabstände unterschiede, wie sie in den obigen paar Differenzen von 1 bis 2 Versen (5) zu Tage liegen. In his multi latent errores.

1) Mit Bewußtsein . . . über allen Zweifel . . . Ex viro doctissimo quaesiverim, quo modo haec accipienda sint. Namque si Ritschelius existimet, ita rem esse, ut poeta, postquam singulos nuntii sermones fecisset, versus numeraret et jam id ageret, ut pari, si fieri posset, aut fere pari, si fieri non posset, versuum numero regis responsum componeret, vel ita, ut omnibus dictionum paribus jam compositis altera cura aequabilitatis rationem haberet et aut eos, qui justo numero deessent, versus adderet aut qui superarent, resecaret, haudquaquam viro doctissimo assentiar id tantum obtinens, poetam sane tam inopis ingenii habendum non esse, ut, si quâ vellet, aequabilitatem efficere non posset; si vero ea, quae supra descripsi, Ritschelii verba ita intelligenda sunt, poetam animo maxime elatum nihil nisi amplissimis verbis iisque et rei et ipsius ingenio aptissimis regem accurate ad ea, quae nuntius protulit, verba respondentem fecisse et sensisse, quemadmodum Ritschelius nullodum captus et occupatus consilio revera sensit, sponte formam sensui aptari, libenter ea, quae Ritschelius protulit, concedo; sed inde non sequitur, futurum fuisse, ut poeta hanc aequabilitatem ad amussim efficiendam curaret, si forte, quod verisimillimum erat,

singula regis responsa ad singulos nuntii sermones non ad verbum vel versum respondere inveniret. Immo opinor, sumendum esse poetam hujus rei causa ne minima quidem mutaturum fuisse, cum persuasum habeam, eum potius verae artis quam fucati artificii specimen praestare voluisse, cum existimaverim neque poetam digitis versus enumerasse neque voluisse, ut alii enumerarent, quod tamen opus fore, si eam, quam Ritschelius effinxit, aequabilitatem efficere vellet, testis ipse est vir acutissimus, quippe qui non prius neglectam aequabilitatem sentiret, quam numerasset. Tantam enim duplicem versuum inter se parium seriem neque qui legunt, neque qui audiunt neque ipse poeta, licet summo venustatis studio et sensu et concentu impletus sit, uno tanquam obtutu ita perlustrare potest, ut pro certo affirmare possit, utrum prorsus sint pares an altera alteram uno vel duobus versibus superet. Jam vero, quum spectator lepidissimus et maxime facetus ab ipso poeta ita differat, ut ille et sententias, quas hic profert, et eas, quibus indutae sunt, formas argute perspiciat, percipiat, sentiat, contra hic prius eas et senserit et effecerit, porro quum poeta personas et sententias formae venustate eo consilio amiciat, ut sint, qui iis delectentur, quemadmodum ipse eas ingenio intuens et sentiens oblectatus est, summa, ni fallor, ea artis lex sive regula sive norma sequitur, ut poeta non eam, quam nemo percipiat neque quisquam percipere possit, venustatem petat, quippe quae sane nulla sit. Jam vero quum teste ipso Ritschelio ea venustas et formae elegantia, quam Ritschelius poetae obtrudere vult, ita comparata sit, ut a nullo percipiatur neque ab ullo percipi possit, nisi quis sine judicio versus sive digitis sive oculis enumeraverit, sequitur, fore, ut si poeta de industria eam petivisset venustatem, quae re vera nulla est, fucati artificii, ut supra diximus, non verae artis specimen praestaret, rursus quod eodem Ritschelio teste quinque dictionum paria effinxit, quibus nostri legentium animi „harmonia“ quadam imbuuntur, id poetae laudi summae vertendum est. Verum tamen, ut recte intelligar, id tantum affirmo, nil referre, utrum ad amussim an fere aequabiliter singuli nuntii sermones regisque responsa dimensa sint, idque caveo, ne inde, quod duo vel tria dictionum paria ad amussim aequabiliter dimensa reperiantur, necesse esse colligatur, ut etiam cetera aequabiliter dimensa sint.

Virum philologum, qui omnem lineolam acute observat, unumquodque verbum perpendit, versus numerat, denique omnia animadvertit, mirari, se subito, postquam unum vel alterum dictionum par aequabiliter dimensum esse cognovit, aliquot paria deprehendere, quorum singulae partes paucis tantum versibus diversae sint, ac summo capi studio aequabilitatis plane efficiendae, credibile quidem est et habet, quo excusetur; quamquam res ipsa eo non immutatur. Atqui, forte quispiam dicat, multos exstare chori cantus, quorum singulae partes eodem fere versuum numero continerentur, quo haec diverbia; quod non impedire, quominus aequabiliter dimensae essent, et inde sequi falsa esse ea quae supra dixi, fieri non posse, ut sive spectator

sive ipse poeta tantum versuum numerum uno obtutu amplecteretur. Quibus ita disputatis haec habeo, quae opponam. Multum differt, utrum carmen vel pars poematis ex versibus, qui dicuntur compositis an ex simplicibus, κατὰ στιχόν, qui vocantur, constet. Illi numeris et modis diversi auribus se applicant, quippe qui melodiam, quae hodie vocatur, contineant, qua quidem uno tantum loco neglecta tota „harmonia“ perditur, hi rursus aequo flumine profluunt, ut eandem vim ad animum et sensum exerceant, sive vicies sive sexcenties usurpantur. — Quae cum ita sint, ad strophicam, quae dicitur, responsionem efficiendam idonei non sunt; ea vero, quae dicitur, stichomythia, in qua eadem persona sive singulae compluries eundem horum versuum numerum proferunt, paucorum tantum est versuum, singulorum, binorum, ternorum, quaternorum etc. — certis finibus numerus propter acervum (soriten) circumscribi non potest — ut uno tanquam obtutu perlustrari possint; quae res causa est, ut vis stichomythiae, quippe quae in logica et rhetorica, ut ita dicam, multo magis, quam „rhythmica“ lege cernatur, eo magis infringatur, quo pluribus contineatur versibus.[1]) Si igitur in melicis carminibus sive in melicis poematis partibus sive in iis, quae prope ad earum naturam accedunt, unus vel plures versus legantur, qui „responsioni“ adversentur, sane causa satis firma animo obversatur, menti infigitur, rationi inculcatur, cur locum mutemus, cur iterum atque iterum eo consilio eum perlustremus, idque studeamus, ut „harmonia“ turbata mutatione quam facillima non efficiatur, sed restituatur, cur deinceps modo hunc modo illum locum in suspicionem vocemus, donec facillima mutatione pariter „harmoniae“ et sensui inserviatur, palmam ei tribuentes, qui aptissima invenerit, conjecerit, cum sciamus, fuisse „harmoniam“, quae tantum turbata sit. Rursus si suspicemur, in quibusdam diverbiis stichomythiam inesse, cui tamen nonnulla obstent impedimenta, eadem necessitas nobis haudquaquam obtruditur, sed primum videndum est, loco apta ea foret necne, deinde caute agendum et circumspiciendum est, ne summo ejus efficiendae, non restituendae studio abrepti falsa conjiciamus, ne ita eam efficiamus, ut eos ejiciamus locos, quibus detrimento sententiae non admodum magno vel vi non ita magna poetae illata carere possimus, vel post eos locos, quibus aliquid de nostris adjicere possimus, poetae sensu non afflicto, immo etiam magis exaggerato et amplificato, lacunas statuamus.

2) Sich durch so verschwindend kleine Zahlenabstände unterschiede. Sed ad haec accedunt etiam graviora. Ac primum quidem id reprehendo, Ritschelium mirari, discrimen non esse majus, quippe qui in iis sermonibus et regis responsis, quae majore numerorum discrimine a nuntii sermonibus diversa sunt, lacunas, priusquam probaverit, statuerit, omnino omnia a viris doctis disputata, quae ad suam sententiam conspirent, in suum commodum verterit neglectis prorsus iis, quae contra faciant. Deinde, discrimen non admodum magnum esse posse, inde patet, quod poeta regem

accuratissime non modo ad eas, quas nuntius protulit, sententias universas sed etiam ad singulas ita respondentem facit, ut plerisque locis sententias sententiis impugnet, refutet, verba verbis opponat; quo quid mirum est parem fere versuum numerum effici? Quid? si equidem ita jam rem agerem, ut dicerem; quum nunquam mihi persuasum esset, magnas illas exstare lacunas, quarum alteram ante Ritschelium omnino nemo, alteram nemo excepto uno Dindorfio statuit, quum nunquam Hermanni conjecturam probavissem, existimantis quinque versus, quibus quartum regis responsum quartum nuntii sermonem superat, Aeschylo abjudicandos et ejiciendos esse, quum tria igitur dictionum paria existerent, quae longius ab aequabilitate recederent, sumendum esse, casu tantum factum esse, quod cetera ad aequabilitatem propius accederent, vel Alexandrinorum vel Byzantinorum studio omnia aequandi tribuendum esse, quum sumi liceret poetam gravissimum et sensus et formae varietati maxime intentum tam ludicra aversatum esse, denique id agendum esse, id tantum restare, ut lacunis statutis vel locis in suspicionem vocatis illam aequabilitatem, si quâ existeret, perderemus Quae si ita statuerem, eodem, quo Ritschelium, jure me usurum vel potius abusurum esse, quis est, qui neget. Numeris igitur solis prolatis nil probatur, nisi loci ipsi prius accuratissime sunt perlustrati nulla poetae vi injecta, nulla emendatione admissa nisi quae justis et necessariis causis ex logica vel toto dicendi genere Aeschyli vel grammatica petitis nitatur.

At iis, quae supra descripsi, argumentis, quae quidem jam satis ita refutasse mihi videor, ut partim ea pateat falsa esse partim ita comparata, ut inde nihil de ea, quam quaerimus, aequabilitate colligendum sit, Ritschelius animi quadam levitate legis illius, de qua supra inter nos convenit, quam ipse fide data expressis verbis comprobavit, prorsus immemor haec superstruit; nisi alia etiamtunc dubitatio sibi nasceretur, fore ut nihil aliud ipsi restaret, quam ut exploraret, ubi sive locus ejici sive lacuna statui posset; quo dicto simul luculentissime prodidit se facillimum factu habere, ut sensu non admodum attrito, nonnullis quibusdam causis allatis unus vel alter versus reperiretur, qui ejici, vel locus, ubi lacuna poni posset; quod re vera quam facile efficiatur, tres viri sunt testes, qui omnes ad unum illam aequabilitatem extricant, quamquam alii alios versus ejiciunt vel servant, alii aliis locis lacunas statuunt idque causis allatis, quas vel ex logica vel grammatica vel toto dicendi genere Aeschyli petitas esse jactant, quamquam me judice maxima ex parte levissimis.

Sed ad Ritschelium redeamus.

Quid tandem Ritschelius illis numeris probavit, quos, ni fallor, paulo immutandos esse censebit? Itaque quemadmodum ille affirmat, se persuasum habere nullum virum prudentem amplius dubitaturum esse, valere illam aequabilitatis legem, ita equidem vereor, ne unusquisque lector prudens et cautus profiteatur, se existimasse, Ritschelium hactenus nihil aliud egisse, quam ut lectorum animos, quibus

sunt ad conjecturas ab aliis prolatas maxime duris, pelliceret et suae sententiae magis proclives facilioresque redderet, neque enim uni illi exclamationi tantam vim tribui posse, ut res diremta esse existimetur. Atqui, ne Ritschelium injuriis afficiamus, ipse quodammodo suam redarguit sententiam, artem profitens criticam recte exercitam docuisse, in sexto pari aequabilitatem quaesitam non re vera sed specie tantum jam existere; praeterea nonnullas alias oriri dubitationes et multas etiam difficultates explanandas esse; quibus non remotis fore, ut animus sensu quodam dubitationis et anxietatis perfunderetur, quae fidei totius legis multum detraherent. Itaque pariter ad omnes dubitationes dissipandas et numeros ipsos etiam accuratius definiendos stabiliendosque, opus esse singulos deinceps sermones ita perlustrari, ut simul ambarum illarum lacunarum magnarum mentio fieret. Equidem libere dico, me haec non prorsus intelligere. Me judice res ita est, ut aut nuntii sermones et regis responsa sive omnia sive partim aequabiliter dimensa sint, aut non sint. Jam vero cum etiam ii, quos Ritschelius hactenus posuit, numeri non plane inter se consentiant, sine dubio probandum ei est firmissimis rationibus, non modo majorem sed ne illam quidem diversitatem quamvis exiguam re vera existere; quae res si prospere ei cesserit, perlata erit lex ab eo proposita, sin minus, antiquata et rejecta.

Postquam ita Ritschelii sententiam satis labefactavimus, saltem primum genus argumentorum, quae attulit, haudquaquam ad legem perferendam valere, sed nihil eo effici probavimus, alterum spectandum est, quod in interpretando et emendando poeta versatur. Jam vero priusquam ad singulos transeam locos, quam legem secuturus sim, indicabo. Hanc habeo principem hermeneuticae et criticae artis legem eamque ratione universa praescriptam, ut primum, quid libri optimi praebeant, spectemus idque scholiis simul adhibitis religiosissime interpretari studeamus; quod nisi prospere cedat, perscrutandum est, quo codicum vestigia, quo scholia annotata deducant, et explorandum, unde mendum illud profectum sit conjecturis quidem sanandum, quarum tamen, dummodo medelam perfectam afferant, propiores remotioribus, faciliores violentioribus praeferendae sunt. Ultimum sane remedium in versibus pellendis et lacunis statuendis positum est, quod tamen, modo certis indiciis [2]) significatum sit, haudquaquam aversandum est.

Sed transeamus ad locos ipsos tandem aliquando accuratius spectandos servato eodem, quo Ritschelius usus est, ordine. Qui postquam eos duorum primorum parium versus, qui in suspicionem vocari possent, in universum recte obtinuit, quamvis non omnibus iis, quae protulit, assentiar, [3]) misso tertio pari, quod longius ab aequabilitate recedit, de quo postea loquitur, ad quartum se convertit idque studet, ut quinque versus ex regis sermone ejiciendos esse probet, quibus ejectis eundem versuum numerum contineret, quem nuntii sermo. In suspicionem igitur vocat finem regis sermonis ab Hermanno et Dindorfio jam tentatum.

Et interpolationem quidem turbato in Mediceo codice versuum ordine jam significatam ex loquacitate quadam ab Aeschylo prorsus aliena, ex singulis sermonis partibus parum concinnis colligit idque tanta fiducia profert, ut neget, cum eo amplius litigandum esse, si quis ejusmodi versus Aeschyleos esse judicet. Atqui, quod haud spernendum mihi affert solatium, video ex eo tempore viros doctos certatim versus in suspicionem vocatos defendere. Imprimis v. 496 arguit, quem neque aptum fundere sensum et verbum continere dicit omnibus Graecorum scriptoribus praeter LXX inusitatum *προσφίλεια*. Ex his igitur septem versibus duos tantum

κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά του νικώμενον
πρὸς τῶν κρατούντων δ' ἐσμὲν, οἱ δ' ἡσσωμένων

retinet, ceteros ejicit. Sed haec habeo, quae opponam. Primum ex iis, quae antecedunt, colligendum est, qui sensus requiratur. Rex dixerat: „Mercurius bene eos congregavit; namque primum viri inter se sunt infesti, deinde dii, quos in clypeis gestant, etenim alter Typhoeum, alter Jovem"; quomodo igitur pergendum est? Nonne ita: „jam vero quum inter omnes constet, Jovem Typhoeo superiorem esse, verisimile est, eundem ad modum viros, qui eos in signis gestant, rem gesturos esse, ut Hyperbius victor discedat Jovis auxilio tutus?" Neque enim satis est dixisse, Jovem nullo esse inferiorem, sed Typhoeo superiorem eum fuisse dicendum erat et ad Hyperbium, non ad universos Thebanos sermo deflectendus erat. Inde sequitur, sanos esse versus

εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ,
εἰκὸς δὲ πράξειν κἄνδρας ὧδ' ἀντιστάτας,
Ὑπερβίῳ τε πρὸς λόγον τοῦ σήματος
σωτὴρ γένοιτ' ἂν Ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών,

nisi in iis versibus, qui antecedunt eadem sententia idque etiam melius et gravius jam prolata sit. Persuasum igitur habeo, neminem futurum fuisse, qui hunc locum in suspicionem vocaret, si post

κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά του νικώμενον

ita poeta perrexisset:

εἰκὸς δὲ πράξειν κἄνδρας ὧδ' ἀντιστάτας.
Ὑπερβίῳ τε πρὸς λόγον τοῦ σήματος
σωτὴρ γένοιτ' ἂν Ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών.

namque ita omnia recte procederent; „Jupiter nullo unquam fuit inferior; jam vero cum Hyperbius eum gestet, decet et verisimile est, hunc Jovis auxilio tutum victoriam reportare." Itaque viri docti in eo offendisse videntur, quod putant, hanc sententiam bis significatam esse. Quod si verum esset, poeta sane reprehendendus foret neque Weilii excusatione a vituperatione liberaretur dicentis: „Quae si fortasse paullo longius quam pro nostra festinatione exposita sunt, memento te antiquum poetam legere."

Poetas antiquos esse loquaces quis unquam comperit[4]) vel probavit? immo multo minus sunt loquaces plurimis nostris, sed verborum parci et saepenumero ita breves, ut sint subobscuri, ut eos non intelligas, verbi causa Pindarum, ipsum Aeschylum, nisi eas sententias et imagines, quas illi tantum significant, adumbrant, non faece tenus exhauriunt, ipse ultra persequaris et amplifices. Quodsi igitur re vera

πρὸς τῶν κρατούντων δ' ἐσμὲν, οἱ δ' ἡσσωμένων

scripsit, sumi non licet, hoc tantum poetam velle dicere: „Quum verisimile sit, Hyperbium, utpote nostrum propugnatorem, victurum esse, nos vincimus, illi vincuntur.“ Tum sane praeferrem Ritschelii conjecturam, quia per se patet, si Hyperbius vincat, Thebanos in illa porta vincere. Sed non est ita. Num igitur ceteros versus ejiciendos esse existimo? Minime; neque enim prorsus idem, quod ii, qui insequuntur, versus significant. Huc accedit, quod in omnibus iis regis sermonibus, in quibus dii auxiliares nominantur, singulos propugnatores non universos adjuturi Thebanos memorantur. Sic in fine primi v. 396: *Δίκη δ' ὁμαίμων κάρτα νιν προστέλλεται*, secundi v. 428 ff. *ἀνὴρ . . . πολυφόντου βία . . . προστατηρίας Ἀρτέμιδος* etc. Verum tamen ita agendum est, ut simul pateat, qui factum sit, ut his verbis sententia continua, qualem indicavimus, interrumpatur. Recte quidem Weilius annotasse mihi videtur, voce *μέντοι* ea, quae praecedunt, ita confirmari, ut ad sequentia transitus paretur. Sed quaeritur, quomodo *προσφίλεια δαιμόνων* accipiendum sit. Quod non cum Weilio ita intelligo, ut significet: „talis est numinum inter se amicitia“, sed ut fere cum Dindorfio vertam: „sic dispertita gratia seu amicitia deorum est, ut Argivis (non soli Hippomedonti, ut Dindorfius) Typhoeus, Jupiter Thebanis (non soli Hyperbio, ut Dindorfius) favere videatur.“ Jam omnia sunt perspicua. Postquam rex rettulit, in Hippomedontis clypeo repraesentatum esse Typhoeum, in Hyperbii Jovem, subito dirae illius meminit pugnae, quam cum Jove ceterisque diis Typhoeus commisit id agens, ut coeli arcem expugnaret, ejusque oculis statim obversatur, quae similitudo intercedat inter illud proelium et inter istud, quod Thebanis imminet Thebarum arcem defendentibus; qua re dicit: „nos (non solum Hyperbius) a partibus victricibus stamus, illi (non solum Hippomedon) a victis.“

ταιάδε μέντοι . . . πρὸς τῶν κρατούντων.

Paratactice dictum est, quod hypotactice dicendum erat, ut saepissime apud Aeschylum hujus structurae amantissimum, *προσφίλεια* recte formatum est, ut Weilius probavit nec est, cur Aeschylo abjudicemus; Ritschelio vero in memoriam revoco, quae ipse pag. 773 dixit: „Wohin sollte es kommen, wenn alle solche *ἅπαξ* etc.“ Tantum igitur abest, ut Aeschylus hoc loco loquacior sit, ut his duobus versibus novam sententiarum seriem significet, quam tamen non ultra persequitur ad sententiam principem se revocans. Elegantia et facetia quaedam in his inest, quum audientibus et legentibus latus jam pateat campus ad hanc sententiam etiam magis amplificandam.

Ceterum, si ullum versum, ejiciendum esse censerem versum *κοὔπω τις*, . . . quem tamen item tueri malim idque fere ita. Primum dicit in universum: „Jupiter nullo inferior est"; jam vero cum reputet, Jovi cum Typhoeo rem esse, sic pergit: „quid dico? non id solum me licet exhibere, sed accedunt etiam graviora; constat Jovem Typhoea jam re vera superiorem fuisse; ita gratia Jovis et Typhoei dispertita est, ut nos omnes a victricibus stemus partibus, Argivi a victis." Ordinem versuum ita statuendum esse existimaverim, qualem G. Hermannus eum exhibet *κοὔπω τις . . . τοιάδε . . . πρὸς τῶν . . . εἰ Ζεύς* cum versu praecedente conjungendus *εἰκὸς δε . . . Ὑπερβίῳ . . . σωτὴρ* . . . Quod vero Ritschelius putat sermonem esse discerptum et minus concinnum, eum admoneo de fine regis sermonis v. 392, ubi eundem ad modum particula *δέ* singulae partes conjunctae sunt, quem tamen genuinum habet, quamquam sine dubio perverse ordinem versuum immutat.[5]) Conferendus praeterea est locus in septimo pari, ubi Aeschylus etiam multo loquacior est, si ista est loquacitas; quem quidem locum Ritschelius ipse defendit pag. 772.

In quarto igitur pari nuntii sermonem regis responsum quinque versibus superat. Ut nihilo tamen minus aequabilitatem efficiat — namque quinque illos versus retinet — Weilius in nuntii sermone tres statuit lacunas idque causis levissimis; primam quidem post v. 469 duorum versuum, haec dicens: Ante clypeum duobus versibus deperditis alia Hippomedontis arma ingentia, fortasse galeam, memorata fuisse suspicor, ut v. 361 (365) in Tydei descriptione huic antithetica. Sed hoc non verisimile esse inde patet, quod rex, qui ad omnia a nuntio prolata accuratissime respicit, horum armorum, quae Weilius finxit, ne verbo quidem mentionem facit. Alteram unius versus lacunam post v. 475 statuit: „Sed Typhoei corpus medium locum obtinuisse dicendum erat. Itaque unius versus lacunam ante hunc notavi." Hoc sine dubio falsissimum est, ut ex regis responso intelligitur:

. . . ὁ μὲν γὰρ πυρπνόον Τυφῶν' ἔχει,
Ὑπερβίῳ δὲ Ζεὺς πατὴρ ἐπ' ἀσπίδος
σταδαῖος ἥσται, διὰ χερὸς βέλος φλέγων.

Neque enim poetae omnia dicenda sunt, quae scit; Aeschylus Typhoeum hoc loco describit ignem ore exhalantem, cui Jovem opponit manibus suum ignem tenentem; ac lepidissime etiam his armis diversis et Argivorum vaniloquentiam et Thebanorum animum ad agendum paratum significare et quasi depingere mihi videtur. Tertiam duorum versuum lacunam Weilius ponit nulla causa allata nisi ea, ut poeta commode ita pergeret: *ἀυτὸς δ' ἐπηλάλαξεν*, si scripsisset, quae vir doctus somniavit.

Deinde Ritschelius ad septimum transit par, in quo nuntius 22, rex 24 versus profert. Postquam regis responsum tentavit sed invenit, nullam esse causam, cur aliquem versum ejiceremus, immo finem rectissime tutatus est, ad nuntii sermonem

se convertit id agens, ut in eo lacunam detegat, qua posita regis responso aequaret. Ac sane quidem in pluribus ejus locis offendit. Primum finem ejus in discrimen vocat, qui in codicibus ad hunc modum extat:

τοιαῦτ' ἐκείνων ἐστὶ τἀξευρήματα.
σὺ δ' αὐτὸς ἤδη γνῶθι τίνα πέμπειν δοκεῖ
ὡς οὔποτ' ἀνδρὶ τῷδε κηρυκευμάτων
μέμψει, σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι ναυκληρεῖν πόλιν.

Quamquam „viri docti in diversas vias abierunt. — Paley versum 637 (631) uncinis includit, eundem Prien et Keck ante 636 (630) transponunt. Ritschl in fine orationis collocat et ante eum alium excidisse statuit, praeterea v. 640 (633) conjicit *τὸ σὸν δ' οὖν ἐστι ναυκληρεῖν πόλιν.* Dindorf ejectis versibus 636 (630) et 637 (631) alium supplet“, — equidem locum sanum esse existimo neque quidquam immutandum. Jam vero prius Ritschelius audiendus est. Protinus ordinem duorum primorum versuum invertit, hanc afferens causam, oportere, nuntius prius omnia de septimo adversario referat, quam de universis septem adversariis et de iis, quae ipse nuntiaverit, verba faciat. At valde quaeritur num verba

τοιαῦτ' ἐκείνων ἐστὶ τἀξευρήματα

ad omnes, quas nuntius omnibus sermonibus retulit, machinas adversariorum referenda sint. Quidni haec verba ita accipienda sint: „Haec Polynices, haec illi universi callide machinati sunt, nimirum ut Polynices in signo „Dicen“ gestaret, ut turribus ascensis rex renunciatus tecum congrederetur. Jam vero tu ipse statue, quis mittendus sit i. e. ex tuo arbitrio pendet, utrum te ipsum, ut illi volunt, fratri tuo opponas, annon.“ *ἤδη* optime habet „jam nunc, neque vero tum demum, cum ille turres ascenderit; namque tum tibi ipsi pugnandum erit nulla optione reliqua“; similem, non prorsus eandem vim *ἤδη* habet loco infra spectando:

πέμποιμ' ἄν ἤδη τόνδε, σὺν τύχῃ δέ τῳ

Namque recte Weilius monuisse mihi videtur, nuntium anxie regis consilium exspectare nec tamen aperte eum monere audere; quae rursus causa est, ut significanter *σὺ δ' αὐτὸς* repetat. Maxime vero miror, quod Ritschelius hoc immutare vult, praesertim quum intelligat, verbis *σὺ δ' αὐτὸς* facete et obscure significari futurum Eteoclis consilium. De industria poeta haec verba repetivisse videtur, ut nuntii sententiam obscure et per ambages prolatam et cautum timidumque ejus animum depingeret. Namque verba *ὡς οὔποτ' ἀνδρὶ τῷδε κηρυκευμάτων μέμψει,* non tantum continent: „Equidem ex vero rettuli“, sed etiam lenem quandam excusationem: „Nolui te offendere, quum Polynicis verba narraverim in te gravissima, quae vereor ne aegre feras; opus erat, nisi officio meo deesse volebam, me ea accurate referre. Equidem meo functus sum munere, tu jam fungere tuo.“ Praeterea optime nuntius prorsus universe *ἐκείνων*, ne exacerbatum, qualem videt, regis animum etiam magis

accendat et iram in se vertat, haud inscius, saepenumero fieri, ut iratus rem nuntiatam et ipsum nuntium permutet et in insontem saeviat; haec sententia usu quotidiano probata Graecorum tragicis est tritissima, conferas tantum sermonem nuntii in Sophoclis Antigone; praeterea conf. v. 613, ubi verbum *πόλει* per euphemismum dictum est. Et re vera semel regis iram jam expertus est conf. v. 461 *κόμπαζ'* etc., quasi nuntius ipse elatus sit.

Optime vero sibi opponuntur: *ἐκείνων . . . σὺ δ' αὐτός . . . ἀνδρὶ τῷδε . . . σὺ δ' αὐτός . . .* „Illi haec invenerunt, non equidem", „illi haec invenerunt, sed tu ipse statue" et „equidem meum praestiti munus, tu praesta tuum." „Equidem tibi nihil praescribere volui, nuntiavi tantum, neque praescribere volo, tu ipse urbem guberna."

Transitum a verbis

. . . . „Κατάξω δ' ἄνδρα τόνδε, καὶ πόλιν
ἕξει, πατρῴων δωμάτων τ' ἐπιστροφάς."

ad *σὺ δ' αὐτός ἤδη* etc. durissimum fore, vir sagacissimus recte intellexit, cujus tamen rei quis alius auctor, nisi ipse Ritschelius, quippe qui versus transposuerit, cum in libris v. 630 *τοιαῦτ' ἐκείνων . . .* versum 629 *ἕξει . . .* sequatur.[6]) — Ceterum virum doctum de ea re monuerim, quod ad efficiendam aequabilitatem in primo pari duos primos nuntii sermonis versus, quippe qui exordium omnium sermonum efficiant, non numeravit; quae cum ita sint, sequitur, item clausulam omnium sermonum non numerandam esse.[7]) Quod vir doctissimus existimat opus esse, nuntium ut in fine omnium fere[8]) sermonum, duobus versibus regem monere, en habes duos versus: *τοιαῦτ' . . .* (v. 630) et *σὺ δ' αὐτὸς ἤδη . . .* (v. 631), modone

τοιαῦτ' ἐκείνων ἐστὶ τἀξευρήματα

falso accipias; si vero contenderet *τοιαῦτ' ἐκείνων* etc. non esse admonitionem, moneo haec eundem ad modum comparata esse, quemadmodum v. 480 et v. 576; duobus igitur his versibus sermo de Polynice injectus clauditur, duobus ultimis versibus omnes sermones; qua re dicit *ναυκληρεῖν πόλιν.* Patet igitur, omnia optime se habere, quod attinet et sensum et formam.

Alteram lacunam Ritschelius statuit in iis, quae praecedunt verbis v. 617 et 618 *ἢ ζῶντ' . . . σοὶ ξυμφέρεσθαι . . .* Ritschelium in eo offendere, quod Polynicis minae tanquam epexegetice enuntiationi relativae adnectantur, non propria enuntiatione proferantur, maxime miror, cum id ipsum ex linguae Graecae more dictum sit talis loquendi brevitatis amantissimae, et potius praeter Graecorum hominum morem dicendi et scribendi idem vel simile verbum repeteretur, ut nostrae sentiendi rationi accommodatum esset; nos quidem ita fere diceremus: den siebenten Gegner am siebenten Thore will ich dir jetzt nennen, es ist dein eigener Bruder, und ich will dir sagen, welches Loos er auf die Stadt herabfleht; er wünscht sich nemlich, daß ꝛc. Talis igitur

attractio linguae Graecae propria et tritissima est. De euphemismo, qui in πόλει positus est, jam supra dixi, eo minus mirandum est, quod dirae in urbem preces malis votis in fratrem conceptis, quemadmodum sensu, ita grammatice subjunctae sunt. Sed Ritschelius ipse his argumentis, quae dicit in universo sensu posita esse, non multum tribuit. Quae vero deinde profert, satis Weilius explosit, qui in eo tantum errat, quod verbum finitum desiderat indeque colligit unum versum excidisse, nulla justa causa. Neque enim illum sequentes ullum extricamus sensum sanum verbis:

ὑπ' αὐτόχειρος αὐτόχειρ ἐφίεται

additis. Etenim si ita scriberemus, aut mira verborum collocatio aut sensus prorsus falsus evaderet; praeterea vero asyndeton inserto δ' removendum esset. Itaque nisi miram et naturae inconvenientem statuere vellemus verborum collocationem, ita struendum et vertendum esset: „Ille postquam turribus adscensis patriae exul (ex Weilii[9]) sententia) ululatum sustulit, petit, ut tecum congrediatur"; quem sensum prorsus falsum esse, quis est, quin intelligat. Neque enim postquam turres adscendit et ululatum sustulit, id petit (vel etiam si participia aoristi praesens tempus significare statueres, „moenia adscendens, ululatum extollens id petit"), sed jam hoc temporis puncto, quo nondum turres adscendit, nondum re vera ululatum extollit, id petit vel orat, ut ita fiat, et affirmat, se ita facturum esse.[10])

„Sed haec exciderunt viro acutissimo quam plurima ad firmandam sententiam suam argumenta conquirenti." „De te narratur fabula!" Si ullus versus excidisset, post κατεύχεται (v. 614) eum excidisse necesse esset; jam vero quum idem verbum quod paulo ante usurpatum est, κατεύχεται desideraretur, luculentissime patet nihil excidisse.[11]) Quid vero Dindorfius ἐπεξιάκχασεν conjiciens voluerit, prorsus non intelligo; nam neque turres jam adscendit — id sine dubio ἐπεμβὰς significat, non „aggrediens" neque jam bacchatus est; sed dicit tantum, se bacchaturum esse. Sensus sine dubio hic est: „Polynices deos invocans tristia urbi concipit vota urbique minatur, se turribus ascensis regem terrae pronuntiatum triumphali ululatu sublato tecum congressurum esse et aut te interfecto ipsum moriturum (ita enim est in fatis, id „Dice" efflagitat) nimirum si tu audeas cum eo congredi — aut — si non audeas, si regnum ei concedas — a te vivo ipsum vivum injuriarum abs te illatarum poenas sumturum esse." Ceterum malim τὼς mutare in σῶς vel ζῶν, ut oppositio majore vi efferatur, quamquam per se patet, si Eteocles a Polynice expellatur, hunc vivum esse; sed tragici hujuscemodi oppositionis sunt amantissimi. — Satis vero probatum mihi esse videtur, omnes emendationes hujus loci quam maxime esse falsas neque vero quidquam mutandum. Videmus igitur, nullam in nuntii sermone extare lacunam, — namque cetera sana esse Ritschelius quoque concedit itemque Weilius — et eum 22 versibus, regis vero responsum 24 contineri; nullam igitur esse aequabilitatem.

Deinde Ritschelius ad sextum transit par, quod in libris 58 versuum est aequabiliter inter nuntium et regem dispertitorum; videri igitur planam aequabilitatem extare, quam nihilo tamen minus dirui opus esse, cum Eteoclis responsum, modo quis accuratius spectet, certis interpolationibus amplificatum esse intelligatur. Jam Dindorfium totum versum 594 temere insertum esse existimasse, nulla quidem causa justa, nullo jure. Equidem quod Ritschelius hunc versum retinuit et interpretari studuit, non minus probo, quam eum verba

. . . . φρενῶν βίᾳ
τείνουσι πομπὴν τὴν μακρὰν πάλιν μολεῖν

falso explicasse persuasum habeo. Weilius quidem ita judicat, hunc versum neque commode exponi, neque probabiliter emendari neque interpolatori tribui posse. Equidem ad haec ita respondeo, extremum rectissime habere, secundum (emendationem) non opus esse, si primum prospere cedat; cujus rei periculum jam faciendum est. Ut mediam in rem ruam, primum ex Mediceo πάλιν, non πόλιν, quod ceteri plerique codices exhibent, scribendum est. Deinde videndum est, quid sit πομπὴν τὴν μακρὰν,[12]) porro quid sit βίᾳ φρενῶν, quibus cum verbis struendum, denique utrum τείνουσι ex συμμιγεὶς an ex ξυγκαθελκυσθήσεται pendeat. — πομπὴν τὴν μακρὰν recte Ritschelius dicit idem esse, quod supra v. 527 μακρᾶς κελεύθου. - βίᾳ φρενῶν — triplici modo accipi potest, aut ita, ut βίᾳ δορός etc. = vi animorum i. e. quibus violentis et superbis sunt animis (ita Ritschelius accepisse videtur, quamquam non prorsus accurate „thörichten Herzens" vertit) aut ita, ut βίᾳ fere praepositionis vim exerceat, tum aut = praeter voluntatem animi, aut = praeter animi cogitationem, exspectationem. Jam vero si βίᾳ φρενῶν cum iis quae praecedunt verbis struis, nihil aliud esse potest quam „praeter voluntatem i. e. invitus" et referendum est ad Amphiaraum, id quod, quamquam per se sanum funderet sensum, verisimile non est neque, ut jure Ritschelius monet, statui potest, quod pluribus verbis a participio συμμιγεὶς distat. Jungendum igitur est cum τείνουσι; quid igitur est βίᾳ φρενῶν τείνουσι πομπὴν τὴν μακρὰν πάλιν μολεῖν? Aut ita accipiendum est, quod fere Ritschelius voluit: „Qui superbis animis id agunt, ut redeant, ut longum iter iterent." At mirum foret regem id ipsum exhibere, quod Argivi de reditu cogitent, quippe qui hoc temporis momento id agant, ut urbem demum expugnent, Argivis autem id ipsum superbiae vertere, quod redire velint; quod Ritschelius sensisse videtur „wohlverrichteter Sache" inserens. Haec igitur interpretatio minime placet; falsa vero oritur, si cum verba συγκαθελκυσθήσεται struas, et ita vertas „in dem Augenblicke, in welchem . . . oder wenn sie daran denken . . ." quia tum rex sumpturus esset, urbem captum iri. Restant vero duae aliae rationes loci interpretandi, si βίᾳ φρενῶν struimus cum verbo τείνουσι. Namque aut ita vertendum est: „Amphiaraus, quippe qui cum nefariis, vaniloquis viris conjunctus sit, eo ipso temporis momento, quo (βίᾳ φρενῶν praeter

animi voluntatem tendentes i. e. aliter ac volunt = coacti redire) vi coacti reditum parant, una cum iis in Orcum delabetur". Quae explicatio ferri quidem potest, cum nihil impediat, quominus ponamus, regem sumere, Argivos a moenibus repulsos id acturos esse, ut jam re infecta redeant, sed sero (*συγκαθελκυσθήσεται*). Aut ita, ut scholiastae vestigia premamus: „Amphiaraus, den gottlosen, frechzüngigen Männern zugesellt, wird verschlungen werden zugleich mit ihnen, die da eine ganz andere Heimkehr, ohne es zu wollen, unbewußt[13]) anstreben" tum *πομπὴν τὴν μακρὰν* ironice dictum est, cum significare possit et longam viam, qua redeunt (sc. Argos) et pompam vel viam funebrem longe remotam a superis. *πάλιν μολεῖν* non simplex est redire, sed contraria via ire, abire; namque *πάλιν μολεῖν* arctissime conjungendum, ut *πάλιν ἐρεῖν* = obloqui, *πάλιν ποιεῖν* = invertere, immutare. *πάλιν μολεῖν* igitur potest significare et „in contrariam partem abire" et „redire, viam iterare"; *πομπὴν τὴν μακρὰν* = longam viam, qua huc pervenerunt et = expeditionem remotissimam sc. a superis i. e. viam, quae ducit in Orcum. Haec saltem scholiastae obversata esse videntur et haec interpretatio multa habet, quibus commendetur. Acerbissima inest irrisio et de industria poeta his obscuris et ancipitibus vocabulis usus esse videtur.

Porro v. 591 a Ritschelio falso tentatum recte tuetur Weilius, qui bene ita dici monet; id ipsum vero, quod eadem adjectiva maxima ex parte jam antea de Amphiarao usurpata sunt, probat, hunc versum optime habere; de industria rex Amphiarai virtutes repetens cumulat, ut „antithesis" vi augeatur; ita locum accipe: „Quamvis sit temperatus, justus, probus, pius, immo magnus vates (climax, quae dicitur, in his adjectivis inest), denique vel maximis virtutibus ornatus sit, in „perniciem incidet — namque tanta est vis malae (malorum hominum) consuetudinis. — Deinde Ritschelius ineptissime locum *ἦ γὰρ ξυνεισβὰς* etc. v. 584 tentat. Sane ne minima quidem insunt, quae interpolationis suspicionem moveant. Ceterum quae Ritschelius ad suam sententiam confirmandam protulit, satis jam a viris doctis refutata sunt v. 483 recte dicit Weilius „superiora illustrantur duobus exemplis etc." *καὶ πανουργίαι τινὶ* explicari quidem non potest nectamen velim cum Ritschelio lacunam statuere, sed scribendum esse censeo aut *ἐν πανουργίᾳ τινὶ* cum Weilio aut cum Dindorfio verborum *πανουργίᾳ τινὶ* loco *πανουργίας πλέῳς*. — *οὕτως* rectissime Ritschelius monuit scribendum esse, non *οὗτος*, quae revera nulla est mutatio; eo magis miror, Ritschelium verba praecedentia, quae corrupta esse putat, non cum Dindorfio sanare studuisse, priore *ἦ* immutato in *ὡς*. — Deinde ad nuntii sermonem transiens, locum v. 552—560 in discrimen vocat. Narratur a nuntio Amphiaraum in duos viros acerrime invehi, in Tydeum et Polynicem; in illum convitia congeri, hunc continuo sermone increpari. Jam vero Ritschelius, qua est sagacitate, rectissime perspexit, alia convicia in Tydeum congesta multo melius (id tantum viro doctissimo dicendum erat neque vero „solum") ad Polynicem quadrare, quam ad Tydeum, alia ad solum Tydeum.

Quare primum versum v. 555 post v. 558 inserit, quem versum ad neminem alium nisi ad Polynicem referri posse dicit. Quamquam equidem concedo, Polynicem etiam multo majore jure Furiarum calatorem dici, quam Tydeum, ita Tydeum *Ἐρινύος κλητῆρα* recte nominari posse existimo. Namque cum constet, Tydeum esse *ἀνδροφόντην, πόλεως ταράκτορα,* nonne idcirco calator Furiae est? Ceterum ut exponam, quo tendam, poeta de industria haec exhibuisse mihi videtur, ut, quae similitudo inter Polynicem et Tydeum intercedat, etiam planius perspiciatur. Haec moneo ad versum transiens variis conjecturis iisque violentissimis tentatum, qui in codicibus ita extat:

καὶ τὸν σὸν αὖθις πρὸς μόραν (accentu super *πρὸς* eraso) *ἀδελφεὸν*
ἐξυπτιάζων ὄμμα, Πολυνείκους βίαν,
δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ, ἐνδατούμενος,
καλεῖ . . .

Primum monendum est *ἀδελφεὸν* a tragicis alienum esse ideoque mutandum esse in *κασίγνητον* sive *κάσιν,* ad quod verbum interpretandum adscriptum in codicem irrepserit. Haec facillima et verisimillima conjectura est et fere necessaria. Deinde omnes viri docti offenderunt in vocabulo *πρόσμοραν* vel *πρόσμορον* (*προς μόρον*) vel *πρός μοῖραν* — quae mutatio facillima —, idque rectissime, si locus intelligitur, quemadmodum illi eum accipiunt. Nuntiumne tam timidum pavidumque sponte (ut quae sua sit animi sententia) dicere, Polynicem Eteoclis fato esse fratrem i. e. eidem fato obnoxium? namque si alio modo locum acciperes, etiam multo ineptius dictum exoriretur, quod *προς μοῖραν* (*πρόσμορον*) *κασίγνητον* aut opponeretur germano fratri — „non est tuus germanus frater“ id quod falsum esset — aut „fato ita constitutum est, ut frater tuus sit“, quod ineptissimum. Quae cum ita sint, viri docti varias conjecturas fecerunt, ut G. Hermannus *ἐς πατρὸς μοῖραν κάσιν* vel ut Ritschelius, Dindorfius *ὁμόσπορον;* quae omnes conjecturae cum violentiores sint, tum non omnes difficultates tollunt. Namque quis est, quin sentiat, nuntium multo melius hoc epitheton prorsus omittere neque hujus loci fore, ut nuntius artam, quae inter Polynicem et Eteoclem intercedit, necessitatem exhibeat suam inserens sententiam? *ὁμόσπορον* nihil nisi epitheton superfluum ad versum explendum foret; quod a poeta factum esse, haudquaquam mihi persua dere potui.[14]) Ut jam meam proferam sententiam, ita judico, verba *πρὸς μοῖραν* (*πρόσμορον*) *κασίγνητον* pertinere ad Amphiarai, non ad nuntii sermonem et ita accipienda esse: „Tydeus et Polynices sunt fratres, non sanguine quidem, sed fato“. Qui sensus sane aptissimus est; uterque ex patria pulsus est, quam vi uterque expugnare vult, uterque rixas movet, uterque Furias tamquam invitat, quum alter caede contaminatus, alter patris diris exagitatus sit, uterque patriam armis repetere studet. Quid igitur aptius, quam eos „fato fratres“ dici! Sed quomodo hoc ex verbis extricatur? Nullo fere verbo mutato; ita locus interpungendus est:

κακοῖσι βάζει πολλὰ Ταδέως βίαν,
„τὸν ἀνδροφόντην, τὸν πόλεως ταράκτορα,“
„μέγιστον Ἄργει τῶν κακῶν διδάσκαλον,“
„Ἐρινύος κλητῆρα, πρόσπολον φόνου,“
„κακῶν τ᾽ Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον.“
„καὶ τὸν σὸν αὖθις πρὸς μοῖραν κασίγνητον“
ἐξυπτιάζων ὄμμα, Πολυνείκους βίαν,
δίς ἐν τελεύτῃ τοὔνομ᾽ ἐνδατούμενος,
καλεῖ. λέγει δὲ τοῦτ᾽ ἔπος διὰ στόμα.

Quamquam nuntius indirecta oratione utitur, tamen ex directa retinuit articulum et *τῶνδε*, quod *ἐπιδεικτικῶς* dictum est,[15]) et *τὸν σὸν*, ut exclamationem accurate referat. Ita etiam optime explicantur verba *δίς ἐν τελευτῇ τοὔνομ᾽ ἐνδατούμενος*, quae Hermannus mutare vult in *δυσεκτέλευτον* etc., Weilius in *δίς γ᾽ ἀντὶ λύμης*. Weilius quidem rectissime monere videtur *ἐνδατεῖσθαι* de jaciendis verbis cum maxime contumeliosis usurpari;[16]) sed vir doctissimus nullam affert causam, cur bis nomen Polynicis proferatur.[17]) Equidem ita existimaverim rem esse. Postquam multa convicia in Tydeum congessit, iis cumulum addit eum nominans *πολι-νείκης* deinde mirans et Polynici adnuens ita pergit, ut oratione directa utar: „En tuus frater, Polinices, Polynices, vel si cui hoc nimis artificiosum esse videatur, *πολυ-νείκης, πολυ-νείκης*, „vos estis fratres, cum ambo maximas discordias moveritis“. *ἐξυπτιάζων ὄμμα* est retorquens oculos atque renidens“. Ceterum versum 554

μέγιστον Ἄργει τῶν κακῶν διδάσκαλον

optime habere fusius Weilius exponit. Restat, ut pauca respondeamus ad Ritschelii sententiam monentis, tragicis usu venire, ut nominibus ludentes omen plane aut exhauriant aut saltem indicent, ut v. 809; unde colligendum esse versum aliquem ad hanc fere sententiam excidisse *πολαστενάκτων νεικέων ἀρχηγέτην*. Jam vero contendo, hoc satis antea factum esse in iis, qui antecedunt, versibus *πόλεως ταράκτορα* etc. mea saltem posita explicatione, et huic lusui cumulum addi eo, quod Tydeus et Polynices fratres nominentur eodem nomine bis adjecto *Πολινείκης* et *Πολυνείκης*. Postremo addo, nostrae versus 557 interpretationi favere etiam scholiastam, qui *ἀδελφεὸν* (*κασίγνητον*) non ad Eteoclem, sed ad Tydeum retulisse videatur, cum haec adscribat

τὸν αξιοθάνατον ἢ τὸν συμπράκτορα αὐτοῦ

quae verba si ad Polynicem, ut qui Eteoclis sit frater, referas, nullum fundunt sensum, optimum vero, si ad eundem, ut qui Tydei. Duplicem[18]) interpretationem verborum *προσμοραν ἀδελφεὸν* scholiasta profert; haec verba aut ita accipienda esse „ejusdem sortis participes aut mutuos adjutores (sc. fato constitutos).“[19])

Deinde Ritschelius v. 565 examinat, quem cur ejiciamus, nullam esse causam, etiamsi, qualis legatur, intelligi non possit. Cui quidem sententiae assentior,

quamquam Ritschelii emendatio *γονῆς* mihi minime placet. Seidleri conjectura, loco vocabuli *πηγὴν* scribendum esse *πλὴγὴν* simplicissima quidem est et profiteor, me et ipsum, priusquam eam legerem, in eandem sponte delatum esse; nunc tamen in eo offendo, quod *πλὴγὴν τίς κατασβέσει δίκη* vix dici posse videtur, cum *κατασβέννυμι* de humore aut de siccitate usurpetur constanti tragicorum usu, praeterea cum scholiasta interpretetur *δάκρυα τῆς πατρίδος ποία παύσει τιμωρία,* videtur vocabulum simile excidisse, quod vocabulo *πηγὴν* remotum sit; qua re equidem conjicio *πάχνην* rorem sc. sanguinis „quod jus matris rorem sanguineum exstinguet, cf. v. 1131 *κουροβόρος πάχνη*.

Denique v. 600 post v. 605 inserit idque, ut mihi videtur, prorsus falso, Weilius post v. 603, non minus falso.[20]) Namque v. 600 verba *φιλεῖ δὲ σιγᾶν ἢ λέγειν τὰ καίρια* optime hoc loco habent, quippe quae explicent v. 599 *εἰ καρπὸς ἔσται θεσφάτοισι Λοξίου* cf. Agamemnon v. 1132, qui versus probat Aeschylo usitatam esse hanc sentiendi rationem; namque verbum *καίρια* hoc loco significat „funesta, funebria".[21]) Nuntius perhibuerat, Amphiaraum insuper esse vatem. „Rectissime", rex respondet, „et optime. Namque cum omnia vaticinia lugubria tantum et mala portendant, Amphiaraus nullum alium fructum ex iis percipiet, nisi perniciem." Gravissima enim inest ironia in *καρπὸς,* sqq. quae verba respiciunt ad nuntii verba v. 574 et 575; „is est fructus vaticiniorum."[22]) Non est igitur, cur hunc versum loco pellamus. Ut numerum justum extricet, Ritschelius lacunam post v. 599 statuit, nullam aliam afferens causam, nisi eam, quod poeta etiam plura verba commode de Amphiarao defendendo inserere potuerit. Quae causa sane nulla est. Versum 582, quem Weilius tueri studet, interpolatum esse ad verba *καρπὸς οὐ κομιστέος* explicanda, ceteris viris doctis magis assentior quam Keckio, qui eum defendere studet. Ita nuntii sermo ex 28, regis responsum ex 29 versibus constat. Restat, ut tertium par et quintum perlustremus, quae multo longius ab ea, quam quaerimus, aequabilitate recedunt.

Ut a tertio incipiamus pari, nuntii sermo constat ex 15 versibus, regis responsum ex 9. Nuntii sermonem rotundum esse neque ullius corruptelae suspicionem movere, Ritschelius affirmat et id quidem rectissime; contra regis responsum non modo ab eo, sed etiam a nonnullis aliis viris doctis sumitur mutilum esse. Priusquam vero ad impugnandam eorum sententiam transeam, haec universa moneo. Quemadmodum difficile est, firmis causis iisque ex solo sensu petitis lacunam aliquam probare, nisi iis gravissimae ex structura totius loci vel ex nonnullis verbis ita comparatis, ut haud ambigue priora non jam servata spectent aut insecutura recte incipiant et instituant, vel ex grammatica petitae accedunt, ita non minus difficile est evincere, nihil excidere potuisse, quandoquidem longiores sermones alicujus scriptoris, cum maxime poetae ita comparati esse solent, ut uno saltem loco aliquid inseri possit neque ordine turbato neque sensu corrupto, immo etiam magis amplificato et exaggerato — etenim omnia proferre, nihil silentio transire, nihil legentium cogitationi permittere,

poetae jejuni et frigidi est. Quae quum ita sint, raro efficies, ut nulla dubitatione reliqua, alterum utrum evincas et plerumque in eo acquiescendum tibi erit, quod magis huc quam illuc trahere viri prudentis esse probatum est. At sane magnum auxilium nobis de loco proposito statuentibus ea res affert, quod ex ceteris sermonibus et responsis intelligitur, regem omnes majoris momenti res a nuntio allatas accuratissime respicere; quo quidem auxilio accuratissime nobis utendum erit, quum haud exigua conferat aut ad augenda aut ad imminuenda et infringenda argumenta a viris doctis prolata. Ceterum, quantum nostra referat, probare aut lacunam sine dubio extare, aut nullam extare posse, vix opus est, ut ostendam. Namque si hoc probare possumus, patet, luculentissime Ritschelii sententiam refutatam esse, cum hoc responsum adeo illi, de qua annititur, aequabilitati refragetur, ut ne prope quidem ad eam accedat; rursus si illud, intelligitur, ex hoc pari nihil colligi posse sive ad comprobandam sive ad improbandam illam legem.

Jam vero omnes res graves a nuntio enarratas re vera a rege solito quidem brevius, verum tamen respici, quis est qui neget, quum ne Ritschelius quidem neget, quamquam poscit, ut poeta nonnulla fusius exponat. Quibus argumentis quantum tribuendum sit, continuo patebit, si singula spectaverimus et eum accuratius perpenderimus locum, ante quem Ritschelius lacunam statuit. Gravissime Ritschelius offendit in versibus 453, 454, 455; miratur Eteocli adversarium primo universe *τόνδε* dici, deinde demum ejus nomen referri; quam rem causam fore, ut nomen Megarei potissimum exhiberetur; id quod, quo est perspicaci et acuto ingenio Ritschelius jure monuit, non jure miratus est. Sed ne quid praecipiam, singula verba spectanda sunt. *πέμπομι᾽ ἂν ἤδη τόνδε* = „mittam equidem jam huncce“. *τόνδε* non ad *φερέγγυον* referri posse[23]), sed hominem quendam notum significare sive digito sive mente monstratum recte probavit. *σὺν τύχῃ δὲ τῳ* cum Hermanno sine dubio ad verba sequentia referendum est; *καὶ δὴ πέπεμπται* = „prospero quodam casu et fortuna sane is mittitur“ — namque hoc tempus perfectum eandem vim, quam praesens, habere recte Ritschelius monet, cf. Krueger gr. Gr. —; ceterum loco verbi *τῳ* malim scribere *τῷ* „illi Eteoclo, contra illum Eteoclum,“[24]) quae mutatio sane nulla est. Praeterea attendendum esse moneo ad *ἤδη* = „jam“. Sensus hic est: „Mittam jam huncce i. e. non est, cur diu adversarium quaeram; jam, quamquam non diu meditatus sum, eum mittam nulla cura anxius, nullo accuratiore recensu habito;“ nos fere dicamus: „ohne Weiteres“. Maxima igitur fiducia his verbis proditur; deinde rex fiducia etiam magis auctus addit *σὺν τύχῃ δέ* = „casu quodam divinitus oblato in illum inmittitur.“ Cur hoc rex jure dicat, jam explorandum est: „Primum hic nullo decore, nisi in manibus (i. e. in fortitudine) posito exornatus est — namque *πέπεμπται* non *πέπεμπτ᾽ οὐ* ex libris scribendum esse videtur, quum illud multo gravius, quam hoc, dictum sit — ille vanis signis elatus est. Deinde ille

dicit, ne Martem quidem ipsum a moenibus dejecturum esse, quod malo omini illi est, namque hic *Μεγ-αρεύς* vocatur et ex indigenis oriundus est.“ Quid hoc sibi velit, ex versu 393 patet. Quae quum ita sint, facile intelligitur, cur poeta Megarei nomen non primo initio ponat, sed retineat ad augendam, ut recte Ritschelius intellexit, ejus vim. Videmus igitur recte sermonem procedere, neque in eo esse quidquam, in quo jure offendamus. Sed ita res non dirimitur, cum Ritschelius affirmet, ante hos versus lacunam esse 6 versuum. Ad haec ita respondeo: ante versum *πέμποιμ' ἂν ἤδη* . . . nihil excidere potuisse, quum haec verba sine dubio extremum nuntii verbum *πέμπε* respiciant, ut Weilius rectissime monuit, qui tamen, nescio an gravius, in eo errat, quod Keckium sequens lacunam post v. 353 statuit, cum *πέπεμπται* rursus verbo *πέμποιμ'* tutum sit; causam vero, quam Weilius affert, nullam esse, iis, quae supra diximus, satis probatum est. Ceterum operae pretium est spectare, quamnam sententiam Ritschelius desideret. Fusius regem de Marte, vestusto Thebanorum patrono et de artissima necessitudine, quae Megareo, utpote indigenae, cum hoc intercederet, exposuisse Ritschelius sumit, praesentim cum Eteoclus Megarei adversarius vel Martem maxima superbia elatus despiceret. Num credibile est, poetam bis eandem sententim illustrare (cf. v. 393 seq.)? nonne satis erat, paucis verbis ea in memoriam revocasse, quae jam de primo propugnatore retulerat? Praeterea jam supra dixi, quemadmodum rex ad istam jactantiam respondeat. Poetam vero fusius de Marte ejusque auxilio non dixisse, inde patet, quod chorus non Martem, sed Jove mutpote deum tutelarem nominat. Namque excepto septimo pari[25]) chorum videmus in singulis cantilenis regis responsa sequentibus ubique ejus dei, quem rex utpote inprimis tutelarem nominat, sive nomine sive re ipsa mentionem facere. I. In primo pari. Eteocles nominat *Δίκην* v. 396, chorus v. 399 *δικαίως*, ubi Weilius, nescio an rectius, scribit *διὰ δίκας*. II. In secundo Eteocles dicit Jovem laesum poenas sumpturum esse v. 424, chorus supplicat v. 434 *κεραυνοῦ δέ νιν βέλος κασχέθοι*. III. In tertio *σὺν τύχῃ* (fortasse *Τύχῃ*), chorus *τάδε μέν σε τυχεῖν* (*εὐτυχεῖν* M.) et deinde nulla Martis fit mentio, sed Jovis „nemetoris“, utqui „Tychen“ tribuat, cf. Agamemnon v. 663 *γλῶσσαν ἐν τύχᾳ νέμων* (*νωμῶν*). IV. In quarto Jovem patrem rex dicit auxilium laturum esse, chorus *Πέποιθα τὸν δὴ Διὸς* etc. V. In quinto pari nullus deus expressis verbis a rege nominatur, dii universi implorantur, ita chorus quoque nihil nisi dicit v. 547 *ἔιθε γὰρ θεοὶ τούσδ' ὀλέσειαν ἐν γᾷ*. VI. In sexto pari, v. 595 rex dicit *Διὸς θέλοντος*, chorus *Ζεύς σφε κάνοι*. Ex his satis colligi licet, futurum fuisse, ut Martis mentio a choro injiceretur, si a rege fusius de ejus auxilio exspectando expositum esset. Quod quum non factum sit, sequitur Martem a rege haudquaquam ita nominatum et tanquam exhibitum fuisse, ut Ritschelius posuit. Sed jam satis superque Ritschelii sententiam redarguisse mihi videor, haec tantum addo: regem de industria non aeque multa respondere a poeta indi-

catum esse verbo *κομπαζ'*, quod simul ferocem regis et festinantem prodit animum. „Tu gloriare alio, de hoc jam satis superque a me dictum est; non dignus est, quem pluribus verbis redarguam, noli me privare ceteris tuis sermonibus.“

Restat ut de quinto regis responso, in cujus initio Ritschelius lacunam statuit, nostram exponamus sententiam. Multa vera pluribus falsis admixta Ritschelius de hoc initio protulit. Itaque, quo accuratius intelligatur, quî factum sit, ut Ritschelius ex veris falsa colligeret, inde a veris, quae attulit, argumentis incipiam. Ac recte quidem monuit, verba *εἰ γὰρ τύχοιεν ὧν φρονοῦσι* vix significare posse: „Utinam iis ipsis accidant, quae aliis machinantur; tum sane miserrime intereant.“ Primum haec tritissima, putida, Aeschylo saltem non admodum digna foret sententia, nulla nisi agrestis et rudis devotio tam vulgaris, ut a lepida et faceta irrisione, qua rex in ceteris omnibus sermonibus utitur, multum abhorreat. Huc accedit, quod, etiamsi ita verbis quandam vim injiceremus, aegre *αὐτοὶ* desideraretur, ut recte Ritschelius monuit. Nullo igitur alio sensu verba: *εἰ γὰρ τύχοιεν ὧν φρονοῦσι* accipienda sunt, nisi hoc: „Utinam a diis impetrent, quae se impetraturos esse cogitant.“ Ne longus sim, accurate attendendum est ad ea, quae paulo ante nuntius dixerat; qui quidem sermonem finieratvoto, „ut dii averterent, ne dii vota eorum rata facerent . . . .“ Haec verba statim Eteocles arripit obloquens: „Utinam dii ita vertant sqq., utinam a diis impetrent, quae nefariis illis jactationibus petunt.“ Haec Ritschelius negabit ullum fundere sensum, equidem ajo, vel optimum. Videndum igitur est, quid a diis Argivi petant. Nuntius dixerat: „Petunt mercedem educati Parthenopaei“. Rex „Sane“ inquit „Utinam deitam mercedem a diis impetrent; tum mehercle miserrime intereant.“ Gravissima igitur in regis verbis inest irrisio,[26]) quae non intelligitur, nisi ultima nuntii verba accurate respiciuntur. „At“ Ritschelius occurrit „Argivi neque hoc loco neque in toto nuntii sermone nominati sunt; inde sequitur „ii“, quod inest in verbo finito, non posse ad Argivos referri, quippe qui nusquam nominati sint.“ Ad ea haec respondeo; non grammatice quidem, sed sensu nominati sunt; namque simplex, quae dicitur, constructio ad sensum est, quae excusatur regis animo maxime exacerbato, quid dico? non excusatur, sed de industria a poeta usurpata esse videtur. Dixerat nuntius *ἐκτίνων καλὰς τροφάς* = „Argis solvens“; nonne hoc idem est, quod „Argivis gratiam referens“? Ceterum ne quis male responsum intelligat, rex addit *αὐτοῖς ἐκείνοις ἀνοσίοις κομπάσμασιν* = illis ipsis superbis signis et verbis, non in universum quae mala machinantur sed quae illa jactantia petunt. Namque et *πρὸς θεῶν* et *αὐτοῖς ἐκείνοις ἀνοσίοις κομπάσμασιν* non minus ad enunciationem relativam, quam ad verbum *τύχοιεν* referenda sunt, id quod jam ex collocatione patet idque tamen ita, ut *πρὸς θεῶν* magis ad enunciationem principalem, *ἀνοσίοις κομπάσμασιν* magis ad relativam referendum sit. Maxime vero sibi opposita sunt verba *πρὸς θεῶν* et *αὐτοῖς ἐκείνοις ἀνοσίοις κομπάσμασιν*. Magna vis in unoquoque posita est verbo. — Pul-

cherrime vero his verbis, quae raptim[27]) nuntii sermonem excipiunt, regis ingenium maxime quidem exacerbatum, verum tamen fictae plenum tranquillitatis, qua ad adversarios acerrime irridendos meditato temperamento utitur, describitur et quodammodo depingitur. Ceterum ejusmodi irrisionem a regis animo haudquaquam alienam esse, ex eo intelligitur regis studio, quod per omnia ejus responsa aequabiliter diffusum est, ut eas ipsas res, quibus adversarii nitantur, his in damnum et malum omen vertat. — Quae si recte habent — atque existimo, sensum sanum nullo alio modo extricari et hunc, quem nostra interpretatione effecerimus, aptissimum esse — luculentissime patet, nullum versum ante verba *εἰ γὰρ τύχοιεν* excidisse. De *εἰ γὰρ* cum optativo simplici, si res tanti est, conf. Krueger gr. Gr. 54, 3, 3.

Alteram porro unius vel duorum versuum lacunam Ritschelius post v. 540 statuit, quum in asyndeto *ἔξωθεν εἴσω* et in subjecto repente immutato offendat. At in hac subjecti immutatione hoc loco nihil duri inest, quum ex participio *τυγχάνουσ'* satis intelligatur, subjectum esse feminini generis, quae praeterea una cum illo asyndeto Porsoni emendatione removetur, qui *ἔξωθεν* in *ἢ 'ξωθεν* mutat, quae fere nulla mutatio est, quamquam nihil immutari malim. Quae quum ita sint, non est, cur lacunam statuamus. Deinde Ritschelius ad nuntii sermonem transit, cujus finem mutilum esse probare studet. Quodsi eam, quam supra protuli, verborum *εἰ γὰρ τύχοιεν* etc. interpretationem sequimur, eae, quibus Ritschelius nititur, causae statim refutantur. Namque quod nuntius hunc sermonem duobus versibus, quibus regem admonere solet, ut propugnatorem mittat, non finit, mirum non est, quum rex, quo est agitato animo, quodammodo nuntium interpellet dicentem. Initium vero regis responsi ultro versum 530 *πύργους ἀπειλεῖ τοὺς δ' ἃ μὴ κραίνοι θεός* satis tuetur, de industria poeta non memoravit, quae Parthenopaeus minetur, ut rex pergere possit *εἰ γὰρ τύχοιεν;* quod vero Ritschelius dicit, minas ipsas jam dudum memoratas esse v. 512, id ipsum probat, hoc loco non illas respici minas sed alias, quae quales fuerint, patet ex verbis, quae praecedunt *ἐκτίνων καλὰς τροφάς.* Videmus igitur, etiam hac re luculentissime confirmari eam, quam supra explanavimus, interpretationem.

Restat denique ut aliam Ritschelii dubitationem removeamus, quae quidem ad collocationem nominis Parthenopaei refertur. Ne longus sim, quemadmodum Ritschelius analogiae, quae dicitur legem (p. 797. Und nun sehe man doch zu ꝛc.), ita equidem varietatis advoco idque hanc afferens causam. Sine dubio hic sermo prorsus aliter comparatus est, ac ceteri omnes, et causae existunt gravissimae, cur poeta in hoc sermone Parthenopaei nomen non initio, ut in ceteris omnibus, sed post longam versuum seriem posuerit. Ludit nuntius nomine Parthenopaei varium in modum, cujus quidem lusus vis maxime infringeretur, si nomen initio jam positum esset. Ea ipsa re, quod nomen reponitur atque reservatur, audientium animi magis

magisque intenduntur cupidissimi ipsius nominis tandem aliquando audiendi; contra si nomen jam notum esset, ille lusus per tot versus continuatus putidus foret. Denique si nuntius Parthenopaei virtutes enumeraret prolato jam nomine, unicuique audientium is sensus, ea oboriretur cogitatio, ut putaret, ejusmodi virtutes non esse veras, sed a nuntio tantum fictas et ex solo nomine petitas. Jam vero brevi spectemus, quae verba ad hunc lusum referantur: v. 513 *μητρὸς ἐξ ὀρεσκόου βλάστημα* = filius virginis (*Παρθενό-παις*); v. 514 *ἀνδρό-παις ἀνήρ;* v. 517 *παρθένων ἐπώνυμον φρόνημα;* v. 518 *γοργὸν δ' ὄμμ'* (*Γοργὼ* erat virgo) = *παρθεν-ώψ.*

Postremo quum *Παρθενοπαῖος* nulla ratione ad metrum quadret, poeta mendum, quod admittere coactus erat, multis verbis praemissis facete excusasse videtur; ita fere: „Miri est nominis.“ [28])

Constat igitur nuntii sermo ex 24 versibus, regis responsum ex 13; minime igitur aequabiliter dimensa sunt. Cujus majoris diversitatis, si fieri possit, ratio reddenda est. Videmus regem ad plurima a nuntio prolata raptim respondere. Quamquam omnia respicit. Ad quattuor ultimos nuntii versus rex quattuor primis respondet, deinde longum lusum Parthenopaei nominis tribus verbis rejicit (v. 537) *γλῶσσαν ἐργμάτων ἄτερ* simul, ut mihi videtur, ad Argivos alludens *ἐργμάτων ἄτερ* = *ἀργός.* Ceterum dubius haereo, num hic locus ita accipiendus sit: „Parthenopaeus ipse nihil nisi vaniloqua lingua facinorum expers (*γλώσση ἐργμάτων ἄτερ* sive *στόμ-ἀργος*) (v. 428) est“, an ita, ut *γλώσση* fere sit „nomen Parthenopaei“, an utrumque statuendum sit. [29]) Ceterum quum animadverterim, saepius regem nomen Argivorum ludificari, nonnullos afferam locos. v. 428 *στόμ-αργος* (hoc fere idem est, quod *γλώσση ἐργμάτων ἄτερ*); deinde audacius v. 392 *αἰσχρῶν γὰρ ἀργός* = im Bösen ist er ein Argiver; v. 534 *ὃν λέγεις τὸν Ἀρκάδα* = „Tu dicis eum Arcadem, sed re vera Argivus est, Argiva utitur lingua, Argiva jactantia“; neque enim haec verba de solo rumore, qui inter Thebanos oriretur, accipio, qualem rex v. 268 *πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς* etc. intelligit. Ceterum hic sensus optime quadrat ad nostram interpretationem verborum *ἐκτίνων καλὰς τροφάς;* „ab Argivis jactantiam didicit facinorum expertem“. Weilius quidem sensisse videtur verba *ὃν λέγεις τὸν Ἀρκάδα* cum quadam ironia dicta esse, cujus tamen vim non intellexisse videtur annotans: „*τὸν Ἀρκάδα* non sine contemptu dictum videtur. Arcadibus enim, nisi fallor, stolidam jactantiam Graeci tribuebant, cf. Xenoph. Hellen. VII., 1, 23. 32“ immo si Arcas esset fortasse timendus esset. (Num *Ἀρκάς* cum *ἀρκεῖν* = „arcere“ comparandum est et *Ἄκτωρ* cum *ἄγω* vel *ἄγνυμι*?). Ceterum cum quaedam annotatio scholiastae me quodammodo perculerit, pauca de ea dicam. Scholiasta quidem dicit: „*Ἀντίμαχός φησιν Ἀργεῖον αὐτὸν οὐκ Ἀρκάδα.*“ Num Antimachus, quem antiquitatum et ludicrorum studiosissimum fuisse constat, hunc locum respexit? Ceterum mirarer a nullo interprete, quantum equidem scio, ad verba *γλῶσσαν ἐργμάτων ἄτερ* quidquam annotatum esse, nisi compertum

haberem, interpretes iis ipsis locis, de quibus illos consulere volumus, saepissime nos deserere. Nonnulla quidem jejuna de *ἔσω πυλῶν ῥέουσαν* allata sunt, quae vix operae pretium erat a. G. Hermanno refutari. — Ad *ἀργής* = „splendidus“ saepenumero chorus alludit, ita v. 89 *λεύκασπις*, v. 194 *ἅτε νιφάδος ὅτ' ὀλοᾶς νιφομένας*. — v. 535 respicit ad versum v. 519, v. 539 ff. ad v. 520—526.

Ceterum poeta optime ipsa illa aequabilitatis negligentia varios gradus regis irae descripsit et quasi depinxit.

Namque ita comparati sunt iratorum animi, ut modo verborum parci maxima acerbitate ad ea, quae prolata sunt, respondeant, modo verborum flumine iram tanquam satient omnia accuratissime exponentes, explanantes. Praeterea sine dubio poeta varietate nimis careret, si ubique singulos nuntii sermones regisque responsa aequabiliter dimensus esset vel proxime ad ejusmodi aequabilitatem accessisset; regis animum externa specie tranquillum, maxima vero ira, odio, irrisione exagitatum forma quoque depingere volebat.

Videmus igitur in nullo nisi in secundo pari aequabilitatem extare, verum tamen cetera omnia, tertio et quinto exceptis proxime ad eam accedere; ea autem stat mihi sententia, ut existimem, Aeschylum hos sermones et regis responsa effingentem simul aequabilitati et varietati optime inservivisse, quamquam nolim contendere hoc de industria factum esse.

Ut finem faciamus, causis satis firmis et multis sententiam Ritschelii et eorum, qui ejus vestigia premunt, redarguisse nobis videmur; restat tamen ut pauca de Weilio moneam, qui item acerrimus illius aequabilitatis, quam etiam latius patere ait,[30]) propugnator extitit, quamquam rem tantum lacunis statutis, non locis ejectis gessit, facillima sane utens ratione et via eaque levissima; namque quasi par impar luderemus neque vero poetam gravissimum interpretaremur vel emendare studeremus, ubi imparem numerum repperit, tot versus addidit, quot opus erant, ut par evaderet. Hanc rem nonnullis quoque causis quibusdam adjectis facillimam peractu esse, facile intelligitur; namque a nullo poeta, minime vero ab omnium florentissimo, unquam omnia ita enarrari et describi solent, ut quaedam adjicere et inserere non possis, immo quadam veritatis specie induta et ita comparata, ut poeta „commode“ pergat. In eo ipso versatur omnis poeseos ars, ut poeta non omnia dicat, quae scit, sed ut multa tantum adumbret, significet, nostras mentes tanquam eo deducat neque vero nostrae cogitationi quasi vincula quaedam injiciat.

Annotationes.

[1]) Sic scripseram, quum nondum Martini dissertatiouem de responsionibus diverbii apud Aeschylum legissem. Quae in universum conferenda est in primis inde a pag. 25 usque ad 61; ad hunc locum a pag. 26 — 36 et 57 — 60. Maxime vero laetatus sum, quum viderem, Martinum, qui totum Aeschylum percensuit, omnes responsiones annotans, in fine ad eandem pervenire sententiam, quam equidem longe alia utens ratione et via conceperam.

[2]) Hoc opus esse etiam Keckius sensisse videtur, quum certa corruptelarum indicia detegere studuerit, quae se deprehendisse jactat, conf. Keck „Jahrbücher für Philologie Jahrgang 1860 pag. 830 ff." Sed quum ejus argumentatio, quae insuper audacior est, in eo potissimum versetur, quod plures locos sine dubio corruptos esse existimat, quos omni ex parte sanos esse, in eo est, ut probemus, sequitur luculentissimum, qui dicitur, circulum in probando ita oriri.

[3]) I. De primo pari et secundo haec habeo, quae moneam. Primum Keckius nullo jure v. 381—383 *καὶ νύκτα ταύτην* etc. in suspicionem vocat. Namque accusativus *καὶ νύκτα ταύτην* a nullo vocabulo pendens optime sententiam exhibet et vehementem regis animum depingit; nos ita fere dicimus: „und was nun jene Nacht betrifft, von der du da sagst u. s. w." (cum quodam contemptu hoc dictum est). Keckius vero, qui locum paullo immutare vult, adscribens: „Aber wer kann glauben, . . . daß gar Eteokles so gesprochen hätte, er, der fern von leidenschaftlicher Aufregung grade durch seine ruhige und sichere Haltung imponiert?" („zu imponieren sucht" fortasse rectius) luculentissime prodidit, se animum regis prorsus non intellexisse; qui qualis sit planius patebit, si ceteros sermones spectaverimus.

II. Deinde v. 416 a Ritschelio nullo jure emendatur, a Keckio falso explicatur. Sine dubio G. Hermannus rectum vidit recte verba interpungens. Possis dicere, ejusmodi aposiopesim ex nuntiorum more usurpatam esse; hoc saltem loco ea aptissima est, quum optime nuntii animum perterritum et anxietate perfusum depingat. Ex solita quidem dicendi ratione dicendum erat *πέμπε τὸν ξυστησόμενον. ἄλλα τίς ξυστήσεται;*

III. Denique in v. 418 omnes fere interpretes verba: *καὶ τῷδε κέρδει* immutaverunt, Keckius in *καὶ τῷδε κήδει*, Heimsoethius, Weilius, alii in *τῷδε κόμπῳ*, quum non intellexerint, regem ironice loqui; Ritschelius quidem hunc locum silentio praetermisit et G. Hermannus codicum lectionem servavit, quam ita interpretatur: „*καὶ*

τῷδε κέρδει spectat ad praegressam Eteoclis orationem. ‚Hoc lucro, quod hic jactator est, accedit aliud, quod ipsa illa jactatione Jovis iram provocabit.‘“ Quorum quidem virorum doctorum alterum Keckius negligentiae arguit, quod locum corruptum sine nota praetermiserit, alterum intelligi non posse insimulat. Priusquam vero G. Hermannum defendam, quam quidem defensionem simul Ritschelium ab omni vituperatione liberaturam esse spero, duas illas, quas viri docti proposuerunt, conjecturas spectare liceat. Primum monendum est, verbis τῷδε κόμπῳ κέρδος ἄλλο τίκτεται (omisso καὶ) vel καὶ . . . κέρδος τίκτεται (omisso ἄλλο) sensum loci sine ironia prolatum recte significari; sed καὶ et ἄλλο tautologiam, quae dicitur, continere, nisi forte quis Aeschylum loquaciorem esse sumit. Verum, servato καὶ, vocabulum ἄλλο (κέρδος) tanta necessitate idem vocabulum (κέρδει) postulat, ut etiamsi κόμπῳ legeretur, hoc mutandum esset in κέρδει, idem valet de altera conjectura (κήδει), quae praeterea in earum conjecturarum numerum referenda est, quae ad codicum lectionem proxime accedentes non omnem loci sensum tollunt et ad metrum quadrant. — Sed quomodo verba καὶ τῷδε κέρδει sqq. intelligenda sunt? Quaestionem recte instituere mihi videor, si G. Hermannum, quem Keckius intelligi non posse affirmat, defendam, quum ejus verba mihi satis sint perspicua, etiamsi rem ipsam non plane exhauriant. Pluribus verbis, quod doleo, opus erit. Jam vero quum animadverterim, hodie moris esse, ut viri docti, quae non intelligant, continuo lacunis statutis vel verbis mutatis, omissis, additis, suo loco pulsis emendare studeant, hac via et ratione religiosissime utar. Primum igitur duo verba omittam, pauca alia addam; Keckium Hermanni annotationem coartatam, imperfectam sic scribere jubeo: „καὶ spectat ad praegressam Eteoclis orationem, τῷδε κέρδει ad ultimam nuntii, κέρδος ἄλλο ad insequentem Eteoclis.“ Deinde totus versus, excepto vocabulo καὶ, describendus est et verba: „Hoc lucro, quod etc.“ addenda sunt. — Deinde — sed hoc jam ingeniosae alicui Keckii conjecturae reliquum faciam. Idem Heimsoethium monuerim, qui quamvis lacunas statuere vereatur, tamen conjecturarum ingeniosarum amantissimus est. Ceterum G. Hermanno venia danda est, quippe qui summo studio in Aeschylum intentus ejusmodi lacunas facile admittere potuerit. — Jam vero ad Keckium revertar. Qui postquam recte perhibuit, neque dativos τῷδε κέρδει cum Blomfieldio sejungendos neque κέρδος ἄλλο ad Polyphontem referendum esse, ita pergit: Es bliebe also nur übrig zu erklären: „auch aus diesem unsern Gewinn (daß Kapaneus ein Prahler ist) erwächst uns ein anderer Vortheil“ oder „auch aus diesem Vortheil erwächst uns ein zweiter“ quibus verbis rectam viam ingressus est, quam tamen statim relinquit addens: „aber die Prahlerei des Kapaneus wird Eteokles doch nicht einen Vortheil der Argeier nennen.“ Ad quae Keckii verba respondeo: „Sane, in ea ipsa re proditur maxima regis quaedam malignitas: „Haec sola sunt Argivorum commoda: verba, jactationes“ quam quidem sententiam rex in unoquoque sermone repetit. Sed malignitas hoc loco etiam magis augetur, quod rex proverbium aliquod

spectare videtur. Jam vero quum unaquaeque ironia duplicem habeat sensum, quorum alter subauditur, alter solis verbis exprimitur, utrumque de his verbis probandum mihi est. Ne longus sim, G. Hermannus sensum significavit, qui subauditur, Keckius eum, qui verbis exprimitur, sectabatur, quem quum invenisset neque vero probasset, ad conjecturam confugit. *κέρδος ἄλλο* sine dubio Thebanorum commodum indicat (in eo positum, quod Capaneus ipsa illa jactatione Jovis iram provocabit, quam sententiam rex sequente sermone fusius illustrat); contra verbis *τῷδε κέρδει* primo quidem Argivorum commodum continetur, quale nuntius fuse exposuerat (ex Argivorum igitur vel nuntii sententia haec verba a rege prolata sunt), deinde vero, quum non firmis praesidiis sed solis jactationibus nitatur (quae vera est animi sententia regis), quum vero jactationes nunquam prosint sed obsint, hoc commodum fictum in adversariorum (Thebanorum) commodum vertitur; itaque et Argivorum et Thebanorum commodum jure nominatur. — Viri docti in eo potissimum haesisse mihi videntur, quod dubitaverunt in verbis *τῷδε κέρδει* et *κέρδος ἄλλο* vocabulum *κέρδος* bis usurpatum de commodo diversorum hominum accipere. Si intellexissent, de industria a poeta talem „amphiboliam" (ambiguitatem), qua ironia efficitur, quaesitam esse, locum pulcherrimum non immutassent. Verum eo minus offensionis habet is, quem statuimus, diversus ejusdem vocabuli sensus, quod universa profertur sententia et tanquam proverbii instar. Totius versus sensus pedestri oratione sine ironia prolatus hic est: „Quod adversariorum commodum videtur, re vera nostrum est; hoc de primo Argivorum propugnatore probavi; idem de secundo jam probabo." Ceterum conferri juberem v. 599 *εἰ καρπὸς ἔσται,* ubi *καρπὸς* eundem admodum ironice dictum est, nisi illius quoque loci acerbam ironiam viros doctos non intellexisse jure suspicarer (conf. pag. 20), vel v. 531 *ὧν φρονοῦσι,* nisi scirem, haec verba ab iis male accepta et explicata esse (conf. pag. 23). Qui quidem jactant, regis animum esse tranquillum, ne minime quidem perturbatum agitatumque. Quod quis primus dixerit, nescio quidem, sed video, quanta sit propago errorum; id quod simul dixerim de tota illa, quam quaerimus, non reperimus, aequabilitate a Ritschelio efficta, deinde latius propagata. Qui duo errores nescio an arctius cohaereant, quam quis putaverit.

[4]) Neque enim hic agitur de poeta epico.

[5]) Quod Ritschelius v. 396 et 397 transponens post v. 392 inserit, Keckius quoque probat, qui tamen *δ'* non, ut Ritschelius, in *γὰρ* mutat, sed prorsus ejicit. Ritschelius et Keckius in eo errare mihi videntur, quod putant, verba: *ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ* continuam sententiam interrumpere. Videamus, quid rex de Melanippo proferat: 1) *μάλ' εὐγενῆ τε καὶ . . .* 2) *αἰσχρῶν γὰρ ἀργός* 3) *σπαρτῶν δ' ἄπ' ἀνδρῶν, ὧν Ἄρης ἐφείσατο.* Quid hoc sibi velit, etiam planius (quam relativa enunciatione jam significatum est) exponitur verbis continuo additis: *ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ.* „Spes est fore ut Mars, quemadmodum Melanippi majoribus pepercit,

ita ei parcat, praesertim quum — quod summum est — ipsa „Dice“ eum in pugnam immittat.“ Videmus igitur orationem recte procedere et tantum abesse, ut continua sententia alienis rebus interrumpatur, ut, si Ritschelium sequentes versus transponeremus, quae artissime cohaerent, sejungeremus.

[6]) Postea vidi etiam Lowinskium traditum a codicibus versuum ordinem obtinere (conf. Jahrbücher für Philologie 1860 pag. 698 et 699); qui recte quidem exponit, verba *τοιαῦτ' ἐκείνων* etc., si transponerentur et de omnibus omnium ducum machinis intelligerentur, fore ut bonum aptumque sensum non funderent, in eo tamen gravissime errat, quod *ἐκείνων* refert ad *γράμματα,* quum id nullo pacto statui possit. Namque primum sequentia verba *σὺ δ' αὐτὸς* sqq. cum necessitate oppositionem in iis, quae antecedunt, verbis praeparatam requirunt; quae ut efficiatur, „persona“ opus esse per se patet. Quod vero vir doctus affirmat, litteras hoc loco tanquam personae instar usurpatas esse, fere ridiculum est. Litteras, quippe quae verba efficiant, loqui aliquo jure a nuntio referri poterat, quamquam jam haec ipsa nuntii verba a rege perstringuntur v. 641 *εἴ νιν κατάξει χρυσότευκτα γράμματα,* quo loco Lowinskius ad firmandam sententiam suam melius non usus esset; namque illa regis verba sine dubio non sine aliquo contemptu et ironia prolata sunt; quorum sensus sine ironia expressus hic fere est: „Numquis credit, litteras quemquam reducturas esse?“ Ceterum ejusmodi sententia cogitari saltem quodammodo potest, quum signum, in quo litterae depictae sunt, viro praeferatur et eum quasi ducat. Jam vero litteras adeo aliquid (machinas) invenisse, quis credet, virum sanum eo dementiae processurum esse, ut serio referat. Tam jejuna ne nuntium quidem dicere sumendum est. — Jam vero quum Lowinskius affirmet, sibi esse aliud receptaculum, in quod confugere posset, ut traditum versuum ordinem obtineret, ea, quam hunc in finem proposuit, conjectura (loco *ἐκείνων* scribendum esse *ἐκεῖ μέν,* quae mutatio facillime efficeretur) paucis spectanda est. Quam si sequeremur, primum, ut jam supra dixi, verba *σὺ δ' αὐτὸς* apta carerent oppositione. Deinde ut is, quem Lowinskius vult; sensus extricaretur, dicendum erat *τάκεῖ* vel *τάκεῖθεν,* quod non ad metrum quadrat. Denique verba *ἐκεῖ μέν* = „ibi quidem“ sine dubio significare opus esset „ab illis partibus“ atque eodem redirent, quo *ἐκείνων* neque intelligeretur, cur hoc mutatum esset. — Quae vero Lowinskius affert, ut probet, cur *ἐκείνῳ γ'* vel *ἐκείνου γ',* quod forte quispiam putet *ἐκείνων* loco positum esse, a poeta non dictum sit (der Dichter hat sich wohl gehütet, dem Polyneikes irgend einen *κόμπος* oder dergleichen in den Mund zu legen ꝛc.) bene habent et luculentissime nostrae sententiae supra prolatae favent. *ἐκείνων* igitur eodem pudore et quadam verecundia dictum est, qua antea (v. 613) *πόλει,* quod verbum relativae enunciationi tanta vi praefigitur, quo magis exhibeatur, quamvis in ipsam urbem fere nullae minae referantur.

[7]) Ceterum de hac re conf. Martin pag. 39.

[8]) Excepto quinto pari.

[9]) Qui, ut postea vidi, Keckium secutus est. Quae sententia quum falsa mihi esse videatur, pauca de ea disseram. Keckius igitur contra codicum auctoritatem κἀποκηρυχθεὶς χθονός scribi jubet, ut participium substantivi loco usurpatum sit „patriae exul". Sed primum moneo, naturae convenire, ut hoc participium aoristi media inter alia participia aoristi, quibus singula deinceps facta enarrantur, positum eadem, qua haec, ratione usurpatum sit, et id tam nude positum vix substantivi locum obtinere posse. Deinde quamquam non negaverim, ita sensum sanum effici, tamen non intelligo, quum codices κἀπικηρυχθεὶς χθονί praebeant, quod scholiastae interpretantur: ἀναγορευθεὶς ἄρχων vel χειροτονηθεὶς βασιλεύς, cur locus, qui optimum fundit sensum, mutandus sit. Primum ἐπικηρυχθείς quidem tantum est „durch Heroldsruf bekannt gemacht", jam vero addo „als was" hoc loco dubium esse non potest. Quantum vero ceteris Keckii argumentis tribuendum sit, jam spectabimus. Sed prius audiamus Keckium: „Dem Polyneikes kann in seiner Wuth sehr daran liegen, die Mauern der Stadt zu betreten, um Rache zu üben, aber gewiß nicht zum König ausgerufen zu werden; und nun sollte er gar daran denken, mitten im Kampfgewühl, ja bevor er mit Eteokles zusammengetroffen, sich als Herrscher proclamieren zu lassen? Da hatte er doch in der That wichtigeres zu thun." . . . „(als Eroberer zu stürmen) das ist seine Rache an der Vaterstadt und ihrem König." Ad prima Keckii verba haec respondeo. Polynicis nihil interest, ut a civibus, qui eum non expulerunt, poenas sumat, plurimum vero, ut fratris loco rex fiat, ut fratrem ex regno expellat. In urbem omnino nulla concipit mala vota (haec est nulla nisi nuntii sententia per quendam euphemismum, ut iterum atque iterum repeto, prolata); id tantum agit, ut regnum repetat conf. v. 627—629. Praeterea ne Eteoclis verba v. 655 ἄρχοντί τ' ἄρχων, quibus poeta ad haec verba respicere videtur, afferam, nonne Keckius scit nihil periculosius esse, quam discordias civiles et duces prudentes, si ulla ratione efficere possint, nihil antiquius habere solere, quam ut tales discordias in hostium castris nutriant (conf. v. 630 τοιαῦτ' ἐκείνων τἀξευρήματα et v. 622 ff. θεοὺς γενεθλίους καλεῖ πατρῴας γῆς etc.); num oblitus est, inde a prima fabula Eteoclem civium rumores valde timere et anxium circumspicere, ne mala inde oriantur? Denique ne insontes cum noxiis trucidentur, quis non videt, necesse esse cives a Polynice moneantur, ut ad regem legitimum, quem Polynices se esse jactat, deficiant. Hoc etiam Amphiarai verba obscure significare videntur dicentis v. 566 et 567 πατρίς τε γαῖα . . . πῶς σοι ξύμμαχος γενήσεται, quamquam ibi futurum tempus potissimum respicitur.

[10]) Haec verba proxime ad orationem directam accedunt, ut ad verbum minae Polynicis relatae esse videantur, quod patet ex vocabulo τόνδε epideictico (v. 619), ut fere dubitare possis, utrum σοὶ et σ' verba nuntii an Polynicis verba sint. Omnino orationem obliquam esse tantum infinitivis ξυμφέρεσθαι et τίσασθαι indicatur. Eo

minus Ritschelio mirandum erat, quod haec verba tanquam epexegetice et libere enunciationi relativae adnectantur.

[11]) Optime Keckius, qui bene totum hunc locum, ut postea vidi, contra Ritschelium defendit, dicit, si *φησιν* etc. poeta scripsisset, *ξυμφέρεσθαι* dici non potuisse sed infinitivo futuri opus fore, quum in verbo *φησιν* non, ut in *κατεύχεται*, vis futuri insit.

[12]) Non audiendi sunt Heimsoethius et Martinus *καμπὴν τὴν μακρὰν* scribi jubentes.

[13]) *βίᾳ φρενῶν* hoc loco idem est, quod in quinto regis sermone (v. 531) *ὧν φρονοῦσι* cum ironia prolatum.

[14]) *πρὸς μοραγέτην κάσιν* (zu deinem Moren führenden Bruder), quod Keckius quam artissime ad codicum lectionem se applicans conjicit fere ridiculum est. Conf. quoque Martinus pag. 51.

[15]) Eundem ad modum in septimo sermone *τόνδε* vid. ann. 10.

[16]) Etiamsi non partiendi, tamen distribuendi vis a principio huic verbo inest.

[17]) In eo Martinus quoque offendit, qua re Hermanni conjecturam probat.

[18]) Hujus duplicis interpretationis vocabulum *αὖθις* causa fuisse videtur.

[19]) In iis, qui insequuntur, versibus Keckius in suspicionem vocat verba (v. 560) *λέγει δὲ τοῦτ' ἔπος διὰ στόμα*, quae, quum pleonasmus, qui dicitur, iis insit, immutanda esse conjicit in *φλέγει δὲ τοῦτ' ἔπος διὰ στόμα*. At, ne dicam, ejusmodi pleonasmum poetis Graecis (conf. Homerum) non inusitatum esse, vir doctus non intellexit, de industria poetam addidisse verba *διὰ στόμα*, quae verbis praegressis *ἐξυπτιάζων ὄμμα . . . καλεῖ* opponerentur. Amphiaraus primum sententiam suam significat (oculos in Polynicem detorquens et renidens), deinde claris et expressis verbis pronunciat. Primum igitur oculis, deinde ore utens loquitur.

[20]) Etiam Martinus hunc versum non ferendum esse putat fere iisdem, quibus illi, causis ductus; neque vero eum transponendum, sed ejiciendum esse statuit, quum ne ei quidem loco, quo Ritschelius eum posuit, aptus sit.

[21]) Conf. Agamemnon v. 1251 *ἐπεύχομαι δὲ καιρίας πληγῆς τυχεῖν* et v. 1303 et 1304 *καιρίαν πληγὴν ἔσω* et *καιρίως οὐτασμένος*.

[22]) Conf. ann. 3, III.

[23]) Quod nihilo tamen minus Martinus in angustias redactus denuo statuit.

[24]) Conf. v. 534 *ἔστιν δὲ καὶ τῷδ' . . . ἀνὴρ*.

[25]) Cur ibi non fiat, per se intelligitur.

[26]) Conf. v. 458 *θανὼν τροφεῖα πληρώσει χθονί* et v. 16—20, qui duo loci satis probare videntur, verba *ἐκτίνων καλὰς τροφάς* in utramque partem accipi posse.

[27]) Ita, ut postea vidi, etiam Heimsoethius statuit, qui locum integrum esse recte vidit atque initio rectam viam iniisse videtur, de qua deinde aberravit

δυσθεῶν conjiciens, quod jure Weilius rejicit. Neque enim ullo pacto regem ne summa quidem ira abreptum oportebat optare: „utinam Argivi, quae nefaria in urbem meditentur, perficiant,“ quum hoc tam mali ominis foret, ut nulla alia re exstingui posset. Conf. ann. 2, III. καὶ τῷδε κέρδει κέρδος ἄλλο τίκτεται, qui simili modo comparatus est, ut fusius exposui. Heimsoethius quidem non vidit, verbis ὧν φρονοῦσι (καλὰς τροφάς) ancipitem sensum inesse. Etiam Martinus, ut sensum sanum extricet, in angustias redactus, unum versum inserendum esse statuit; de qua conjectura idem valet, quod de ceteris.

[28]) Simili modo Martinus productionem secundae syllabae excusavit. — Equidem argumentis supra propositis etiam hoc addiderim. Quum Parthenopaei nomen ad lusum intelligendum multiplici modo dissecandum sit, in unaquaque syllaba maxima vis posita est, ut tanquam prematur.

[29]) Si verba γλῶσσαν ἐργμάτων ἄτερ de ipso Parthenopaeo accipiuntur, facile intelligitur, cur articulus, quem Martinus desiderat, ante φέροντα omissus sit. Ceterum verbis gradatio quaedam inest, quae vocabulo οὐδ' indicatur. Sensus totius loci, in quo viri docti nullo jure offenderunt, sic procedit. „Duabus rebus Parthenopaeus nititur, nomine et signo; quae ambae res ita comparatae sunt, ut nobis damnum afferre non possint. Solum nomen nil mali procreabit, sed ne signum quidem, ut in ceteris sermonibus jam satis disserui, oberit, minime vero hoc, quum sumendum sit, fore ut ipsa Sphinx Thebanorum telis petita, quasi vulnerata iram convertat introrsum in eum, qui ipsam gestet,“ ut recte Weilius quoque interpretatur. Quae si fortasse paullo brevius, quam pro nostra copia dicendi exposita sunt, memento te antiquum poetam, si paullo simplicius et durius, te Aeschylum legere; conf. Weilii annotationem ad v. 496 sqq., (500 sqq.), de qua annotatione eum hoc loco iterum admonuerim.

[30]) Cujus sententiam optime Martinus refutavit.

Corr.: Pag. 23 lin. 22 deitam l. l. debitam.